



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>



C423.5-111



Harvard College Library

BOUGHT WITH INCOME

FROM THE REQUEST OF

HENRY LILLIE PIERCE

OF BOSTON

Under a vote of the President and Fellows,  
October 24, 1898











**MONUMENTA HISTORICA SOCIETATIS JESU**

**A PATRIBUS EJUSDEM SOCIETATIS EDITA**

---

**EPISTOLAE**

**P. ALPHONSI SALMERONIS**





**EPISTOLAE**  
**P. ALPHONSI SALMERONIS**

**SOCIETATIS JESU**

**EX AUTOGRAPHIS VEL ORIGINALIBUS EXEMPLIS**

**POTISSIMUM DEPROMPTAE**

**A PATRIBUS EJUSDEM SOCIETATIS**

**NUNC PRIMUM EDITAE**

---


**TOMUS PRIMUS**

**1536-1565**



**MATRITI**  
**TYPIS GABRIELIS LOPEZ DEL HORNO**  
**via S. Bernardi, 92.**  
**1906**

C4281311  
~~III~~ 9295



Pierce Fund  
(I)

#### SUPERIORUM APPROBATIO

Cum opus, cui titulus est: *Epistolae P. Alphonsi Salmeronis, Societatis Jesu, ex autographis vel originalibus exemplis potissimum depromptae, a Patribus ejusdem Societatis nunc primum editae*, aliqui ejusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus ut typis mandetur, si ita iis ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras, manu nostra subscriptas, et sigillo muneris nostri munitas, dedimus.

Matriti, 19 Martii 1906.

IOSEPHUS M.<sup>a</sup> PAGASARTUNDÚA,  
Praep. Prov. Tolet.

---

Imprimatur.

Matriti, die 4 Aprilis 1906.

Ex mandato Excmi. et Illmi. D. D. VICTORIANI GUIASOLA ET MENÉNDEZ  
Episcopi Matriten. et Compluten.

DR. ALEXIUS IZQUIERDO,  
Decan. S. E. C. et Gub. eccl. S. P.

---

## PRAEFATIO GENERALIS

---

Sicut Ignatius de Loyola inter priores socios, tamquam sol inter sidera, sanctitatis ac prudentiae luce refulsit; ita inter novem ejus socios, Xaverius et Faber insignis sanctimoniae gloria, Lainius et Salmeron sacrarum scientiarum splendore coruscarunt. Et re quidem vera Lainii et Salmeronis nomina inter sapientissimorum saeculi XVI theologorum ac tridentinae synodi patrum nomina prorsus emicuisse nemo est qui ambigat. Ambo jam ab adolescentia amicitiae vinculis conjuncti, sacrarum scientiarum solida fundamenta in complutensi academia cum laude jecerant; ambo simul Galliae iter suscipientes, Lutetiam Parisiorum se contulerunt; ambo, sacris commentationibus ab Ignatio exculi, ejusdem instituta et vitae rationem sequi deliberrunt.

Horum igitur historica monumenta edituri, a Salmerone initium ducimus, cujus quidem epistolae duo nostrorum MONUMENTORUM volumina coagmentabunt, ad nostrae Societatis, ac provinciae praesertim neapolitanae, annales illustrandos prorsus utilia. Utque historiae cultores commodius illis uti valeant, non abs re erit in hac generali praefatione, tum de auctore epistolarum, tum de ejusdem epistolis aliisque lucubrationibus, nonnulla brevi sermone praelibare.

### I

#### P. ALPHONSI SALMERONIS ACTA

Alphonsi Salmeronis patria, teste Ribadeneira, Toletum fuit. Ejusdem parentes Alphonsus et Marina Diaz, Olias et Magano, toletanae ditionis pagis, oriundi. Ortus est die 8 Septembris, reparatae salutis anno 1515. Litterarum rudimentis in patria infor-

matus, pueritiam vixdum egressus, Complutum mittitur, ubi egregias prae caeteris adolescentibus dotes in humanitatis et rhetoricae disciplinis brevi patefecit. Ingenium praeclarum, vocis suavis, actionis dignitas, facilitas in dicendo, aliaque naturae dona, in illa litteraria palaestra inter omnes fere condiscipulos, tum discendi facilitate, tum dicendi gratia eum conspicuum exhibuerunt. Latinis et graecis litteris primum, et deinde philosophiae disciplinis egregie instructus, Parisios, una cum Jacobo Lainio profectus est, ut sacras litteras in illa celebri academia melius perdiscere posset. Nunquam praestantiorum amicum se eidem Lainio exhibuit quam cum eum ad Ignatium de Loyola adduxit. Uterque autem eodem fere tempore, quo Faber et Xaverius, exercitiis a P. Ignatio susceptis, ejusdem institutum profiteri statuit (1515-1536) <sup>1</sup>.

Decimaquinta die Novembris anni 1536 Lutetia Parisiorum cum caeteris Ignatii sociis discessit, summa pauperie magnisque incommodis in itinere toleratis. Venetias octava Januarii anni 1537 omnes simul pervenerunt, ubi pauperibus nosocomii consolandis pieque excolendis usque ad maximi jejunii tempus incumbentes, inde Romam contendunt, ibique coram pontifice de sacris disciplinis Salmeron egregie disputavit, et facultatem nactus est, ut, cum per aetatem liceret, ad sacros ordines promoveretur <sup>2</sup>.

Venetias regressus, ut ad sacerdotii dignitatem et ad sacram hostiam primo litandam se praepararet, ad Montem Caelium cum Xaverio secessit <sup>3</sup>. Cum autem die octava Septembris ejusdem anni, vel paulo post, expleta jam aetate ad sacrum sacerdotium suscipiendum requisita, ad presbyteratus ordinem promotus fuerit, caeteros socios Vincentiam congressus, primitias suas novi sacerdotes, praeter Ignatium, Deo obtulerunt <sup>4</sup>. Spe autem peregrinationis hierosolymitanae frustrata, sociis per diversas Italiae urbes distributis, ut sacris ministeriis operam darent, Salmeron et Broëtus Senarum urbem venientes, pauperibus et pue-

<sup>1</sup> POLANCUS, *Chron.*, I, 49; RIBADENEIRA, *La vida y muerte del P. Alonso Salmeron*, inter opera P. Ribadeneirae, I, 304. Matriti 1605.

<sup>2</sup> POLANCUS, *ibid.*, I, 57-59; et *append.* 2.

<sup>3</sup> *Ibid.*, I, 59-60.

<sup>4</sup> *Ibid.*, I, 61.

ris christiana doctrina instituendis sese non sine fructu impenderunt <sup>5</sup>.

Post quadragesimam anni 1538 Salmeron cum Ignatio caeterisque sociis Romam venit, ubi sacras conciones apud sanctam Luciam habuit, simulque Ignatio in condenda Societate operam suam contulit, votaue solennia die 22 Aprilis anni 1541 ad sanctum Paulum extra Urbem nuncupavit.

Sub autumnum ejusdem anni Salmeron et Broëtus a Paulo III P. M. nuntii apostolici nominantur, et in Hiberniam, ut religionem ibi misere collapsam defendant, omnibus facultatibus ornati mittuntur <sup>6</sup>. Multis terra marique periculis et laboribus exantlatis, in Scotiam primo, inde in Hiberniam transiere, quam secunda die quadragesimae, id est, 23 Februarii anni 1542, attigerunt. Triginta et quatuor ibidem dies in sacris ministeriis impensis, cum ostium sibi praecludi ad profectum ejus gentis viderent, in Galliam trajicientes, et Dieppam, Normanniae portum, appellentes, Parisios pervenerunt <sup>7</sup>.

Mense Julio iter romanum capientes, cum Lugduni urbem die 29 ejusdem mensis ingrederentur, suspicionem excitarunt quod exploratores essent, bellum enim inter hispanos et gallos gerebatur; ideoque in vincula ambo conjiciuntur; sed mox, cardinalium turnonensis et Gaddii rogatu, e carcere educuntur et felici itinere Romam tandem perveniunt <sup>8</sup>.

Aliquot mensibus in Urbe quietius sed non otiose transactis, mense Aprili sequentis anni 1543, Joannis Moroni, mutinensium antistitis, rogatu, ad illam civitatem Salmeron mittitur, ut novatorum serpentes errores evellere et catholicorum fidem suis concionibus et aliis sacris ministeriis confirmare studeret. Quod quidem diligentissime magnoque cum fructu exsecutus est <sup>9</sup>.

Romam ab Ignatio evocatus, apud legatum Caroli V, imperatoris, Joannem de Vega ejusque uxorem, sacro adventus tem-

---

<sup>5</sup> RODERICIUS, *De orig. et progr. Soc. Jesu*, in *Epist. PP. Broëti* etc., pag. 491; POLANCUS, *ibid.*, pag. 63.

<sup>6</sup> *Ibid.*, I, 64, 90-91, 96.

<sup>7</sup> *Ibid.*, I, 98-99.

<sup>8</sup> Vide *append. 3 a*.

<sup>9</sup> POLANCUS, *Chron.*, I, 111, 127; et *Monum. Ignat., Epist.*, I, 259.



pore concionatus est <sup>10</sup>. Apud marchionissam Piscariae, Victoriam Columnam, in templo S. Annae, et alibi alias pro suggestu dixit anno 1545, et eodem tempore ter in hebdomada epistolam S. Pauli ad Ephesios in templo Societatis explanavit <sup>11</sup>.

Anno autem 1546 ineunte, inter eos, qui jussu Pauli III ad concilium oecumenicum mittendi erant, Ignatius Salmeronem delegit, qui Roma mense Februario profectus, antequam Tridentum veniret, Bononiae tempore quadragesimae concionari jussus est. Die vero tertia paschatis, id est 27 Aprilis, Patavium et mox Tridentum profectus, hanc urbem cum Lainio die 18 Maji ingressus est <sup>12</sup>.

Quae Tridenti a Salmerone gesta sunt, praeclare a Polanco in *Chronico* referuntur, unde haec excerpere juvat: «Cum Patres Laynez et Salmeron Legatorum jussu in congregatione theologorum sententias dixissent (agebatur autem de Justificatione) sic se divino cum auxilio gesserunt, ut admirabilem apud Legatos et omnes Praelatos ac theologos et gratiam et auctoritatem sibi conciliaverint; et in primis Episcopi Hispaniae, qui prius eos non libenter videre prae se ferebant, sic erga eos affecti sunt, ut eorum praesentia non satiari posse viderentur. Multi etiam ex Praelatis sua suffragia cum nostris conferebant, et quidem in scriptis nonnulli eorum sententiam secum deferrebant... Partim ergo Patres illi in studiis et in sententiis suis publice et privatim dicendis distinebantur, partim in confessionibus diversarum personarum, et inter eos quorundam etiam Praelatorum audiendis, partim in aegrotantibus et sanis, etiam Praelatis, cum aedificatione invisendis, partim pauperibus, qui extra urbem ex Legatorum et aliorum Praelatorum eleemosynis sustentabantur, juvandis operam suam collocabant <sup>13</sup>.» «Ipso autem die Sancti Joannis Evangelistae P. Salmeron coram Sancti Concilii Patribus latinam habuit orationem, quae mirum in modum Praelatis grata fuit, unde scriptam eam dare necesse habuit, et typis est excusa <sup>14</sup>.»

<sup>10</sup> *Monum. Ignat., Epist.*, I, 290.

<sup>11</sup> *Ibid.*, pag. 306-307, 332.

<sup>12</sup> POLANCUS, *Chron.*, I, 175, 178.

<sup>13</sup> *Ibid.*, I, 178-179.

<sup>14</sup> *Ibid.*, I, 181. Cf. ASTRAIN, *Historia de la Compañía de Jesús en la asistencia de España*, I, 511 et seqq.

Cum vero concilium Bononiam translatum est, Salmeron cum Lainio ad illam urbem, legatorum jussu, die 14 Martii anni 1547 profectus est. Sed, gravi morbo correptus, Patavii consistere coactus est, ubi sacramentis munitus et ad mortem fere redactus, divina providentia convaluit, et Bononiam post pascha venit, ubi, partim concilii laboribus, partim proximorum saluti indulgit, et plures, qui Lutheri erroribus capti fuerant, ad fidem catholicam reduxit <sup>15</sup>.

Maximi jejunii concionibus in templo Stae. Luciae ibidem anno 1548 habitis, mense Junio Venetias accessit, inde Patavium, unde, prioratus cujusdam Societati annexi possessione capta, Veronam se contulit, ut episcopo Lippomano, id postulanti, satisfaceret <sup>16</sup>; ibique ab autumnno anni 1548 ad Februarium usque anni insequentis permansit, sacris lectionibus aliisque laboribus intentus <sup>17</sup>.

Verona relicta, Venetias repetit, inde Patavium, et postea Bellunum secessit, quam dominica quinquagesimae, tertia nempe die Martii, ingressus est, ubi quadragesimales conciones magno cum animarum proventu in illius oppidi templo habuit. Venetias sub finem Aprilis concessit, ubi novarum aedium Societatis possessionem accepit <sup>18</sup>; et quamvis ejus opera summopere ab Aloisio Lippomano, veronensi episcopo, expetebatur, magis expedire visum est bellunensium precibus satisfacere, «id enim debebatur sollicitudini civitatis, quae, ut Prior scribebat, adhibitis oratoribus spiritualibus et temporalibus petere et pulsare non cessabat; et ipsemet P. Alphonsus spe fructus uberioris ad eam missionem, potius quam ad Veronensem, propensus videbatur <sup>19</sup>». Fructus ibidem et Saravalle a Salmerone collectos Polancus in loco nuper citato fuse enarrat.

«Postquam autem Venetiis et Patavii aliquot dies conquievisset, sub vespere vigesimae quartae Augusti Ferrariam versus profectus est, et sub initium Septembris cum Patre Claudio,

<sup>15</sup> POLANCUS, *ibid.*, I, 216-218.

<sup>16</sup> *Ibid.*, I, 276-277.

<sup>17</sup> Vide epist. 27-29; et POLANCUS, *Chron.*, I, 408.

<sup>18</sup> Vide epist. 30-32.

<sup>19</sup> POLANCUS, *Chron.*, I, 411.

qui eam facultatem a Duce impetraverat, Bononiam pervenit <sup>20</sup>; ubi 4 Octobris doctoris lauream cum Patribus Jajo et Canisio adeptus est <sup>21</sup>.

Hujus enim anni 1549 initio dux Bavariae Gulielmus IV a summo pontifice Paulo III obtinuerat ut tres e Societate lectores ad ingolstadiensem academiam mitterentur. Ignatius, pontificis voluntati semper obsequentissimus, Salmeronem cum Jajo et Canisio Ingolstadium ire jussit. Bononia egressi die 8 Octobris, Tridentum die 12 pertingunt, ibique tribus diebus transactis, 16.<sup>a</sup> iter proseguuntur, Dilingam attingentes, ubi cardinalem augustinum, qui eos amantissime excepit, salutant, et Monachii consistentes, ubi eos dux Bavariae «summa charitatis et benignitatis significatione excepit et amplexus est, ac suo primo cancellario doctori Ecchio, ne quid ipsis deesset, sollicitè commendavit... Duodecima ergo die Novembris Monachio profecti, duobus itineris ducibus adjunctis, Ingolstadium sequenti die pervenerunt, et magno cum honore ab Universitate (cui Dux Bavariae nostros serio commendaverat) excepti sunt <sup>22</sup>.» Die 29 ejusdem mensis Salmeron docta et eleganti oratione interpretationem epistolae ad Romanos inceptit; cujus quidem «singularis in sacrosanctis studiis scientia, tum in omnibus disciplinis exercitatio, postremo sanctimonia vitae», teste ipsa academia, «expectationem omnium non solum aequavit sed superavit <sup>23</sup>».

Cum autem ducis Bavariae commissarii, quos inter cancellarius Eckius aderat, quamdam Salmeronis lectionem audivissent, tanta animi consolatione affecti sunt, ut cancellarius dixerit «quod pro magna pecuniae summa noluisset eam lectionem non audisse, et quod Joannes Ecchius, insignis ejus Universitatis olim professor, talem lectionem praelegere unquam potuisset; et statim ad Ducem scripsit quantopere ea lectio placuisset. Linguarum peritia et doctrinae ubertas, qua praeditus erat P. Salmeron, etiam in rebus minimis, admirationi erat <sup>24</sup>».

<sup>20</sup> Ibid., I, 412-413.

<sup>21</sup> Vide epist. 34-34<sup>a</sup>; et append. 7.

<sup>22</sup> POLANCUS, *Chron.*, I, 413-414.

<sup>23</sup> Ibid., I, 414-415.

<sup>24</sup> Ibid., I, 415-416.

Quoniam vero, mortuo Gulielmo IV, Salmeronis opera utilior in Italia quam in Germania futura Ignatio videbatur, cumque aliunde «Aloisius Lipomanus, Veronensis Episcopus, a Summo Pontifice etiam impetrasset, ut P. Alphonsus Salmeron, Verona abductus superiori anno, sibi restitueretur, P. Ignatio non repugnante, immo hoc ipsum suggerente, id facile obtinuit. Unde revocatus P. Alphonsus Ingolstadio», Augustam die 11 Septembris anni 1550 venit, ibique quatuor diebus consistens, decima quinta Veronae iter arripit, quo die 24 ejusdem mensis pervenit <sup>25</sup>.

Quam graviter autem tulerit academia ingolstadiensis Salmeronis recessum, ex hisce verbis epistolae Canisii ad Ignatium 29 Septembris 1550 datae, colligi poterit: «Prius quam hinc abiret Pater Alphonsus Veronam, ubi summa de illo omnium expectatio est, ut a fide dignis accepi, appararunt hic nobis professores non vulgare convivium. Solent enim Germani hoc velut firmum amicitiae symbolum adhibere quo nichil [*sic*] est illis antiquius ad fidei humanitatisque testificationem. Neque convivio contenti, se curaturos pollicebantur (vellet modo P. Alphonsus), ut modis hic omnibus retineretur. Non enim ferendam iacturam, si posset averti, ut ornamento hoc tam insigni Academia spoliaretur, hunc alterum esse Echium et plus quam Echium, qui admirabilis doctrinae suae fragrantem odorem iam longe lateque per Germaniam diffudisset <sup>26</sup>.»

Veronae igitur saluti proximorum strenuam operam navare coepit, et dominica prima Octobris, quae fuit quinta illius mensis dies, divi Matthaei evangelium explanare aggressus est, sacro adventus tempore pro suggestu in templo cathedrali peroravit, et simul episcopo Lippomano in librorum ab ipso edendorum revisione scientiae suae subsidia contulit <sup>27</sup>. Festis natalitiis ibidem traductis, ineunte anno 1551, Romam pervectus, cum Ignatio et aliis Patribus constitutionum Societatis lucubrationi operam consiliumque suum adhibuit <sup>28</sup>.

Hoc tempore de collegii neapolitani institutione Romae age-

<sup>25</sup> Ibid., II, 68-69; et epist. 35 et 36.

<sup>26</sup> BRAUNSBERGER, *Canisii epist.*, I, 332; et POLANCUS, *Chron.*, II, 77.

<sup>27</sup> POLANCUS, *Chron.*, II, 69.

<sup>28</sup> Ibid., II, 162-163.

batur, et Societatis amici in illa civitate commorantes selectum ad hoc opus virum ab Ignatio enixe postulabant. Prae omnibus Salmeron aptus ab Ignatio iudicatus, statimque huic negotio praeficitur, Neapolimque primis Februarii diebus mittitur. Gratissimus illi civitati Salmeronis adventus accidit, crevitque tanti viri fama cum ejus conciones in quadragesima audierunt, indefessamque in labore sollicitudinem viderunt. Sed sub festis paschalibus inchoatum opus relinquere cogitur Salmeron, cum ab Ignatio Romam accersitur, ut ad concilium tridentinum ex summi pontificis voluntate se conferat <sup>29</sup>.

Antequam vero «ex Urbe Tridentum recederet, Summum Pontificem Julium tertium, cui familiaris erat, est allocutus, et aliquas ab eo facultates, quae usui Societati fuerunt, impetravit». Sed Marcellus Cervinus, cardinalis S. Crucis cum Augubii eam aetatem transigere decrevisset, ab Ignatio impetravit ut Salmeron ei socius assignaretur. Roma igitur ipsa vigilia Pentecostes, die videlicet 16 Maji, cum cardinali profectus, usque ad diem 24 Junii ibidem mansit, clericorum et monialium reformationi aliisque piis operibus intentus <sup>30</sup>. Tum Florentiam petit et, socio Lainio, Tridentum pergit, quo tandem die 27 Julii ambo pervernerunt, cum jam sacra synodus suos labores inchoaverat. «Ipso die Nativitatis B. Virginis Patres Laynez et Salmeron omnium primi, ut Pontificis theologi, sententias dixerunt, mane Laynez, post meridiem Salmeron», et quidem cum magna auditorum satisfactione <sup>31</sup>.

Praeclara alia ibidem a Salmerone dicta et facta sunt, quae fusius Polancus loco citato, pagg. 250-255 et 465-471 prosequitur. «Voluit autem P. Ignatius, cum occupationes concilii eum minime impedirent, ut Salmeron Oenipontum se conferret, ubi Carolus imperator tunc agebat», et pro lovaniensis collegii institutione facultatem ab eodem impetraret. Tridento 29 Martii 1552 profectus, 2.<sup>a</sup> Aprilis Oenipontem pervenit; sed cum caesar bello impediretur, nihil profecit Salmeron, et post unum vel alterum diem inde abiit <sup>32</sup>.

<sup>29</sup> Ibid., II, 167-169.

<sup>31</sup> Ibid., II, 249-250.

<sup>30</sup> Ibid., II, 169-170.

<sup>32</sup> Ibid., II, 468.



Suspensione concilii 24 Aprilis decreto promulgata, Salmeron 2 Maji inde recessit, et quamvis ad collegium neapolitanum promovendum destinaretur, quia aestivo tempore Neapolim venire non expediebat, Florentiam ab Ignatio venire jussus, aestatem legendo et concionando in illa urbe exegit <sup>33</sup>. Die igitur dominica ante 18 Junii, sermonem Christi in monte confertae multitudini explanare coepit <sup>34</sup>. «Verum, quo gravior ille fuit et fructuosior, eo molestius ejus discessum Perusiam et Romam versus florentini sensissent, si P. Jacobus Laynez Provincialis, optatissimus ab omnibus, Florentiam non venisset <sup>35</sup>.»

Circa medium Septembrem anni 1552 Romam concessit Salmeron, ubi uno circiter mense cum sancto Parente versatus, juxta medium Octobrem Neapolim pervenit, eidemque Bobadilla suum superintendentis officium resignavit <sup>36</sup>.

Quae autem Salmeron Neapoli gessit, tum in collegio promovendo, tum in civitate pie excolenda, tum in erroribus a Valdesio id tempus in ea urbe disseminatis e radice evellendis, copiose a Polanco enarrantur in *Chronico*, III, 169-193; et IV, 171-190. Hoc autem tempore Romam ab Ignatio evocatus, quinta die Maji 1554 Neapoli discessit, et, negotiis in Urbe expeditis, Neapolim die 27 ejusdem mensis remittebatur <sup>37</sup>.

Anno 1555 quadragesimae concionibus Neapoli absolutis, Romam denuo ab Ignatio accitus est, ut Marcelli II, ad pontificatum recenter evecti, benedictionem acciperet, cui jam a concilii tridentini initio notus et charus erat. Sed quamvis Urbem versus Maji initia pervenerit, novum pontificem salutare non potuit, nam paucis ante diebus ille e vivis sublatus fuerat <sup>38</sup>. Jamque Neapolim redire cogitabat, cum a Paulo IV in diaetam augustanam cum nuntio apostolico Aloisio Lippomano proficisci, et inde cum eodem in Poloniam transire jussus est <sup>39</sup>. Roma igitur profectus die 27 Julii, «parum abfuit quin, prope Perusium, in manus gallorum incideret, qui in agro senensi adhuc versa-

<sup>33</sup> Ibid., II, 472.

<sup>34</sup> *Epist. Mixtae.*, II, 729.

<sup>35</sup> POLANCUS, *Chron.*, II, 514.

<sup>36</sup> Ibid., II, 526.

<sup>37</sup> Ibid., IV, 179; *Cartas de S. Ignacio*, IV, 184.

<sup>38</sup> POLANCUS, *Chron.*, V, 177.

<sup>39</sup> Ibid., V, 37.

bantur, et eum exploraverant; sed per montes deductus, eorum fefellit diligentiam <sup>40</sup>», et paululum ibi commoratus, die septima Septembris cum eodem ad Poloniae regem se contulit, qui tunc Vilnae agebat <sup>41</sup>. Canisio Pragae salutato, 17 Septembris iter suum prosequitur, quod toto Octobri et parte Novembris, multis quidem laboribus, sed parvo fructu, illius patientiam exercuit, ut ipse in epistolis 55 et 56 enarrat.

Romam ab Ignatio, ex summi pontificis placito, mense Januario anni 1556 revocatus, Senis aliquandiu substitit, ad ejusdem Ignatii mentem, qui illius urbis gubernatori et afflictæ civitati morem gerere voluit. Vix autem Romam mense Aprili 1556 attigerat, cum Paulus IV illum cum apostolico legato Scipione Rebiba in Belgium contendere jubet <sup>42</sup>.

Profecturus in Flandriam, ab Ignatio instructionem accepit, ut praepositum provincialem inferioris Germaniae P. Bernardum Oliverium constitueret <sup>43</sup>. «Sed cum propere ex Belgio P. Salmeron cum eodem legato rediisset, misit litteras, quibus declarabat Provincialem P. Bernardum; nam eo etiam propendebat Patrum illorum, qui in Belgio erant, sententia; et ita litterae illi, tamquam Provinciali, scribi coeperunt. Placuit tamen divinae Bonitati ut, antequam declararetur, vitam hanc cum aeterna commutaverit; et ita scriptum est Patri Ribadeneirae, in cujus manus litterae P. Salmeronis devenerant, ut ipsius electionem in Provincialem honestas ob causas publicaret. Et ita Provincia quidem illa Inferioris Germaniae instituta est, sed Provincialem nullum habuit <sup>44</sup>.»

Lugdunum die 20 Augusti pervenit, et a mense Septembri ad Decembrem Romae Patri Lainio, Societatis vicario generali, adstitit. «Cum» autem «intellectum esset Neapoli Patrem Salmeronem Romam rediisse, litteris urgere Patrem Laynez, Vica-

<sup>40</sup> Ibid., V, 274:

<sup>41</sup> Ibid., V, 274-275.

<sup>42</sup> Ibid., VI, 22; *Epist. Mixtae*, V, 285; et *Cartas de S. Ignacio*, VI, 223.

<sup>43</sup> *Cartas de S. Ignacio*, VI, 266.

<sup>44</sup> POLANCUS, *Chron.*, VI, 32-33.

rium, coeperunt ut ipsum Neapolim mittendum curaret. Scripsit autem inter alios Dominus Antonius Minturnus, Ducis Montis Leonis Secretarius et postea Episcopus, tam necessarium [esse] ejus reditum Neapolim, ut ab eo quodammodo pendere stabilimentum Collegii, etiam in rebus temporalibus, diceret, et ait illud fuisse ruiturum, nisi diligentia Domini Hieronymi Vignes adjutum fuisset <sup>45</sup>.»

Neapolim igitur se contulit, et die 19 Decembris ad illam se civitatem pervenisse nuntiabat <sup>46</sup>. Ibidem, collegii regimini et concionibus intentus permansit usque ad Septembrem anni sequentis, 1557, quo, pace inter Pautum IV et regem Philippum die 14 Septembris firmata, Salmeron Romam a summo pontifice vocatur, et cum cardinali Caraffa, qui ad curiam regis Hispaniae Bruxellas legabatur, contendere jussus est, ut eidem in pacis confirmandae negotiis operam consiliumque conferret <sup>47</sup>.

Profectus ergo Roma die 16 Octobris, Bruxellas 2 Decembris ingressus est <sup>48</sup>. Ibi autem non solum curiae regiae verbo et exemplo maxime profuit, sed Societatis incrementum summa diligentia promovit <sup>49</sup>.

Rebus in curia feliciter absolutis, Bruxellis 25 Martii anni 1558 egressus, Lovanium petiit; cum autem in itinere equino calce ictus fuisset, Leodium divertere coactus est, ubi usque ad mensem Majum valetudini recuperandae indulsit. Die 8 vel 9 hujus mensis Coloniam venit, et die 12 iter romanum repetiit, Urbemque 19 Junii cum Everardo Mercuriano et Joanne Pelletario pervenit. Eadem die incepta est congregatio generalis, quae Lainium praepositum Societatis 2 Julii creavit <sup>50</sup>.

Coetu Patrum dimisso, nolani collegii et provinciae neapolitanae institutio a Lainio decreta, eum ad Salmeronem illi provinciae praeficiendum permovit; nemo enim melius res illius gentis perspectas habebat, nemo gratior neapolitanis Salmerone, quem aegre admodum sibi eripi patiebantur, et si quando ab eis

<sup>45</sup> Ibid., VI, 262; et append. 17 et 26.

<sup>46</sup> Vide epist. 60.

<sup>47</sup> Vide epist. 78.

<sup>48</sup> Vide epist. 82.

<sup>49</sup> Vide epist. 82-85.

<sup>50</sup> Vide epist. 91, annot. 1.

ad tempus discedebat, crebris litteris eum sibi reddi postulabant, prout in sequentibus epistolis passim conspicitur.

Mense igitur Septembri anni 1558 ad finem vergente, Neapolim Alphonsus venit, et licet febribus molestis ac diuturnis vexatus, suo muneri adimplendo indefessam operam navavit usque ad annum 1561, quo, Lainio in Galliam a Pio IV misso, Salmeron in Urbem vocatus est, ut illius vices cum vicaria potestate in Societatis regimine gereret. Egregie sane hoc munus obiit a mense Septembri hujus anni ad Majum usque proxime insequentis, quo ad synodum oecumenicam jussu romani pontificis, qui eum inter theologos pontificios in concilio sententiam suam dicere voluit, profectus est, eodemque mense ad finem declinante, Tridentum pervenit; nam kalendis Junii, laetus amplexu carissimi sodalis, P. Canisius animae suae solatium hisce divi Pauli <sup>51</sup> verbis Patri Francisco Borgiae pandebat: «Consolatus est nos Dominus adventu tamdiu exoptato R. P. Alphonsi, et consolabitur magis cum R. Pater et praepositus noster ex Galliis turbulentis salvus tandem adfuerit <sup>52</sup>.»

Non tamen omnibus concilii Patribus aequè gratus extitit Salmeronis in concilium adventus; nam multis, praesertim hispanis, idcirco minus arridebat, quod multi palam dictitarent Tridentum illum a pontifice mitti ad confutandam eorum sententiam, quibus visum fuerat in concilio statuendum fuisse praelatos ad residentiam in suis ecclesiis jure divino obligari <sup>53</sup>. Sed prudentissimus et Societatis amantissimus Canisius, cum videret hos sinistros rumores non solum Salmeronis personae sed etiam Societati universae apud multos obesse posse, operam dedit ut hujusmodi suspicionem ex optimatum quorundam animis eximeret <sup>54</sup>. Quantum et quam praeclare Salmeron cum Lainio in ea sacra synodo laboraverit, potius ex actis concilii ejusdemque historiae scriptoribus, quam ex Salmeronis litteris cognosci poterit; multus enim in labore, et parvus admodum in scribendo de rebus a se gestis fuit.

<sup>51</sup> 2 COR. VII, 6.

<sup>52</sup> BRAUNSBERGER, loc. cit., III, 454.

<sup>53</sup> Ibid., III, 447-448.

<sup>54</sup> Ibid.

Concilio sessionibus absolutis Patribusque discedentibus, Salmeron cum Lainio, Polanco et Natali, die 10 Decembris anni 1563 Tridento egressus Venetias se contulit, ibique omnes festa Natalis Domini, Salmerone pro suggestu mirifice perorante, celebrarunt <sup>55</sup>. Venetiis sub diem 12 Aprilis discedens, Ferrariam accessit, ut duci eum expetenti satisfaceret; indeque Romam, ubi summi pontificis desiderio obsecundans, in sancti Petri basilica altero die Pentecostes (22 Maji) concionatus est, et statim ad suam provinciam rediens, neapolitanam urbem sub ejusdem mensis exitum ingressus est <sup>56</sup>.

Suis subditis restitutus Salmeron, eorundem regimini et simul sacris concionibus, in quibus semper quodammodo regnare clarissimo Hosio visus est, totum sese impendit usque ad extremam senectutem, qua cum ei vires ad concionandum non suppetarent, scribendo assiduam operam contulit, unde XVI illa commentariorum volumina a theologiae doctoribus tam laudata et concionatoribus sacris tam proficua, prodierunt. Nec facile bonus Salmeron illum tam jucundum secessum deserebat, sed cum esset cubiculi tenacissimus, ab illo suisque libris solum officii adimplendi vel comitorum Romae celebrandorum necessitas eum avocabat.

Anno autem 1569, a summo pontifice Pio V Romam accitus, in palatio apostolico conciones tota quadragesima habere jussus est; idque tanta pontificis, cardinalium et principum satisfactione praestitit, ut pontifex eum Romae retinere voluerit, ut ejusdem sapientia et consiliis uti posset; sed Salmeron, qui vitae religiosae obscuritatem aulae splendori semper praetulit, provectam aetatem et fractas tot laboribus vires obtendens, missionem impetravit, laetusque in suum quasi perfugium neapolitanum se recepit, ibique reliquum vitae transegit.

Tanti viri laudes et piam ex hac vita migrationem Mathias Tanner, ex nostrae Societatis scriptoribus depromptam, hisce verbis compendiose enarrat <sup>57</sup>: «Toto autem illo restantis vitae tem-

<sup>55</sup> SACCHINUS, *Hist. Soc. Jesu*, part, II, lib. VIII, n. 1; epist. 202<sup>a</sup>-204<sup>a</sup>.

<sup>56</sup> Vide epist. 207, annot. 1.

<sup>57</sup> *Societas Jesu Apostolorum imitatrix*. Pars prima, pagg. 201-202.

EPIST. P. SALMERONIS, TOM. I.



pore, ingentia virtutum et consummatae sanctitatis prae-buit Neapoli specimina, ardentissimae inprimis in proximos charitatis, erga quos semper aperta gerebat viscera misericordiae, cum rara humilitate, simplicitate, et apertissimo animi candore: erroribus omnibus et haeresibus constanter infensus, cujus potissimum studio Regnum illud suam ab his conservationem debet. Dixit per 18 Quadragesimas quotidie, maximo fervore et fructu, nihil interim remittendo de assiduitate audiendi confessiones, et observandi Ecclesiastici jejunii: et cum auctoritate plurimum posset apud Dynastas atque Pro-Reges, gratiam omnem ad calamitosorum levamentum conferebat; nec semel magno usui fuit ad concordiam sacrae inter profanaeque Jurisdictionis administratos.

Nullam sui fovebat existimationem, omnibus se postponens, et virtutum quarumlibet exempla in aliis ita suspiciens, ut ea, ad imitandum, in libellum secretum annotaret. Cumque esset literatura omni, et sapientia excultissimus, aliorum tamen sensum et consilia avidissime exquirebat, etiam multo se juniorum, minusque expertorum, et perlibenter sequebatur.

Revidendis illius Tomis, missus erat Censor Neapolim a Generali Praeposito, P. Robertus Bellarminus, qui testatus est, se quinque totis mensibus illi labori insudantem, annotare solitum quotidie Salmeroni, quae sibi in Operum ejus lectione minus probarentur, eaque illum omnia postridie emendata exhibuisse, etsi non raro rationes iis tuendis idoneas habere potuisset: et tamen Bellarminus longe erat ipso aetate et experientia junior.

Passioni Christi tenerrime erat addictus, tumque praecipue emicabat ejus in DEUM religio, cum de Christo Domino, de sanctissima ejus Parente, de coelesti denique Beatitudine loquebatur. De horum trium aliquo ubi sermo incideret, extra sese rapi diceres, adeo afficiebatur; et verba ex pleno redundantique fundebat pectore.

Tandem aetate, annis et laboribus gravis, modico primum catarrho tentari coepit, cui superveniens febricula ardentior eum admonuit, tempus esse, ut ad migrationem ex hac vita se compareret; unde etiam aliquot ante obitum hebdomadis hilari vultu

praedixit, velocem adventare depositionem tabernaculi sui <sup>58</sup>, esto Medici nihil periculi subesse affirmarent. Dum sacra Unctio afferretur, quia ipse praecipuo cultu S. Agatham venerabatur, quidam adstantium, *memineris*, inquit, *supremum Sacrificium te die Festo S. Agathae obtulisse*; et Salmeron: *quam mox erit dies Festi ipsius octavus?* cumque responsum esset: *postridie futurum: proinde*, inquit, *crastinus dies est vitae meae terminus*; neque aliter cecidit: nam hora 10 noctis 13 Februarii anno 1585 expiravit, cum eam totam dulcibus cum DEO colloquiis exegisset, animo tranquillissimo, et ad beatam illam lucem avide aspirante. Nam cum saepius exclamasset: *Laetatur anima mea, laetatur!* quaerenti cur laetaretur? *quia*, inquit, *incipit DEUS misericordiae suae mihi vias ostendere!* post quae, oculis a Crucifixo et DEIparae imagine nunquam retortis, placidissime expiravit. Postquam Viri pretiosi mors Urbi innotuit, tota quodammodo ad Collegii januam concurrat, ejus corporis videndi, et manus pedesque basiandi gratia. Funeri deducendo adfuit Archi-Episcopus Neapolitanus cum Capitulo et toto Clero, in Pontificali vestitu: dumque officium perficeret, tantus fuit hominum prementium ex omni genere et statu confluxus; ut tumulto inferri nequiverit; alii capillos et barbam, alii vestium frusta abscindebant, ut vix magna industria caveri potuerit, ne corpus ipsum discerneretur. Noctem igitur praestolari oportuit, qua valvis Templi occlusis tumultatus est, cum annos aetatis complexset 69.»

## II

## P. ALPHONSI SALMERONIS SCRIPTA

Quamquam noster labor in his duobus Salmeronis voluminibus edendis ac illustrandis, illius epistolas potissimum respicere debeat, nihilominus, ut plenior tanti viri notitia a nostris lectoribus ex ejus epistolis hauriri valeat, juvabit proculdubio non solum de ipsis epistolis sed de caeteris etiam ejusdem scriptis nonnulla praemittere.

---

<sup>58</sup> 2 PETR., I, 14.

## I.—DE EPISTOLIS SALMERONIS

Ac de epistolis quidem quae dicere habemus, ad duo capita, claritatis gratia, reducenda videntur: quales, scilicet, illae sint, quidve ad Societatis Jesu historiam locupletandam conferant, prius disquirendum; deinde vero quamnam in earum editione rationem servandam suscipimus, exponendum.

1.<sup>o</sup> Ex iis, quae de vita et actis P. Salmeronis in hac praefatione dicta sunt, facile cuilibet ejusdem epistolare commercium quale fuerit apparebit. Ignatii Loyolaei in Societatis institutione socius, provinciae neapolitanae parens ac moderator, summorum pontificum in aula apostolica concionator et in tridentina synodo theologus, plurium legatorum sanctae sedis comes, et ipse etiam nuntius pontificis in Hiberniam legatus, tandem sapientia et eruditione sacra inter primores sui temporis conspicuus, et cum sapientissimis viris amicitia et litterarum amore conjunctus, in epistolis, quae, ut omnibus notum est, fidelem hominis imaginem referre assolent, summa, qua apud omnes existimatione potitus est, dignissimus deprehenditur.

Ignatii socius ac discipulus provectissimus, illius animi magnitudinem, prudentiam, sanctimoniam, obtemperantiam, animi demissionem, gloriae divinae amplificandae sitim inextinguibilem, solidas demum virtutes in tanti magistri schola acquisitas, suis in litteris constanter manifestat.

Neapolitanae provinciae genitor, columen ac praesidium, amorem vere paternum erga filios sibi commissos, collegii neapolitani provehendi assiduam curam, totius provinciae amplificandae, virisque scientia ac virtute praestantissimis exornandae indefessam sollicitudinem in suis epistolis passim attestatur.

Quantum pro religione tuenda ac apostolicae sedis auctoritate defendenda Salmeron insudaverit, quot labores pertulerit, quantis vitae periculis sese objecerit, ex ejusdem litteris, in Scotia primum, et deinceps in Polonia et alibi scriptis, aliquatenus saltem cognosci potest; multo plura tamen in haereticorum erroribus pervincendis, Mutinae, Senis, Venetiis, Patavii, Neapoli

et alibi eum forti et invicto animo pertulisse aliunde novimus; Salmeron enim parvus in rebus suis enarrandis semper exstitit.

In epistolis ad Ignatium, Lainium, Borgiam et Everardum, qui successive Societatis clavum tenuerunt, disserit Salmeron de rebus et personis ad provinciam sibi commissam spectantibus. In iis elucet prudentia in cavendis iis, quae bonae Societatis existimationi obesse possent; solertia in excogitandis mediis, quae ad collegiorum incrementum, magistrorum bonam institutionem, rei familiaris augmentum, templi Societatis amplitudinem et ornatum, juvare posse viderentur; diligentia et indefessus labor in operibus piis fovendis, in verbo Dei populo pro suggestu enucleando, et sacrorum librorum arcanis eidem pandendis, quae in re parem Salmeron non habuit, ejusque lectiones sacrae incredibili aviditate a cunctis audiebantur, certatimque principes ac civitates ejusdem operam sollicitabant.

Patribus Hieronymo Natali, Christophoro Madridio, Nicolao Bobadillae, aliisque e nostra Societate egregiis viris saepius Salmeron vel de eadem Societate vel de aliis negotiis occurrentibus scripsit. Has inter litteras speciali mentione dignae sunt, quas Christophoro Rodericio anno 1566, occasione dissidiorum inter ecclesiasticam et civilem potestatem, dedit; in eis enim mirifice enitet Salmeronis fortitudo et magnanimitas in ecclesiae juribus contra civilis potestatis incursiones defendendis.

Cum cardinali Stanislao Hosio, viro aequae pio ac erudito, de suis studiis, itineribus, concionibus ac laboribus amice ac familiariter saepe in suis litteris colloquitur; illum Joannes Antonius Caraffa, ecclesiae romanae et purpurae cardinalitiae decus et ornamentum, de sacrae scripturae difficillimis quaestionibus frequenter consulit; et mirum sane quam sapienter et acute eidem respondet P. Alphonsus, nodosque difficultatum sibi objectarum dissolvit; nunc Petro Canisio de libris pro religione catholica contra novatorum errores conscriptis gratulatur; nunc Stephano Tuccio, doctori Francisco Astudillo, Latino Latinio, Sirleto, Turriano, de sacrorum librorum interpretatione suam sententiam modeste pariter ac sapienter exponit.

Maxima vero epistolarum ejus pars ad regimen provinciae

sibi commissae pertinet. In iis de collegiis neapolitano, nolano, catacensi, melitensi, aliisque instituendis, dotandis, ordinandis vel invisendis disserit. Et, quamvis magna harum litterarum pars interierit, ex iis, quae ad nos pervenerunt, et ex Societatis generalium moderatorum regestis, ubi responsiones Salmeroni datae reperiuntur, clare apparet illum ad normam formulae scribendi singulis fere hebdomadis ad suos praepositos scripsisse.

Litterae autem ad Ignatium, Lainium et Borgiam datae, hispano sermone et Salmeronis manu scriptae sunt, paucis demptis, quae ex ejusdem commissione ab aliis conficiebantur, vel ab amanuensi scriptae et a Salmerone subscriptae conspiciuntur. Ad Everardum Mercurianum italice et fere semper librarii manu scribebat, subscriptione ad calcem propria manu apposita, ut videri potest in originalibus exemplis ad nostra usque tempora conservatis.

Linguam porro hispanicam Salmeron, utpote toletanus, probe callebat et accurate satis scribebat; sed cum tot annis, maxima scilicet vitae suae parte, cum italiam vitam traduxerit, multas ex italico sermone depromptas voces cum hispanicis mixtas in suas epistolas induxit, quae quidem, tametsi saepe a nobis annotantur, semper tamen id facere, supervacaneum et nimis lectoribus molestum fore censuimus.

2.<sup>o</sup> En igitur in harum litterarum editione rationem et praxim a nobis adhibitam. In Salmeronis epistolis autographis pauca generatim corrigenda vel annotanda occurrunt; quae autem linguae hispanicae minus peritis offendicula aliquid negotii facessere possent, brevi annotatione declaramus; caetera, quamvis minus accurate scripta, prudenti lectori emendanda relinquimus. Quae autem per librarios Salmeron scripsit, frequentioribus annotationibus omnino emendanda visa sunt. Caeterum eandem in his epistolis, quam in caeteris nostris MONUMENTIS edendis, rationem observamus.

Quod autem ad epistolas in regestis praepositorum generalium Societatis exstantes et ad Salmeronem datas attinet, non eadem ratio habenda visa est: nam quae ab Ignatio sive ejus nomine ad Salmeronem scriptae fuerunt, cum earum locus proprius

sint *Monumenta Ignatiana*, ibi a lectoribus nostris reperientur, eosque ad illa, volumine et pagina annotatis, passim remittimus. Quae autem in regeſtis Lainii, Borgiae et Everardi ad Salmeronem missae litterae recensentur, hae vel integre a nobis proprio loco exhibentur; vel, si de rebus minutis et parum vel nihil ad historiam conferentibus, agant, compendiose annotationibus inseruntur, vel sub litteras Salmeronis, quibus illae respondent, omissis nonnullis, proferimus. Ut autem lector noscat locum unde aliquid expunctum fuerit, hanc notam ... ibi apponimus. Verum, ne quis suspicetur hoc, veluti quodam artificio, velle nos occultare nonnulla, quae Societatis historiae aliquam maculam inurere possent, profiteamur nihil unquam tale a nobis omitti; imo si qua sint, quae hominum Societatis defectus vel errores patefiant, haec consulto a nobis evulgantur; nam, ut saepius in his MONUMENTIS testati sumus, utile prorsus censemus etiam summorum virorum errata et defectus cognoscere; nihil enim eorum gloriae magnitudini tam parvi defectus detrahunt, et nobis pusillis multum solatium nec parum stimuli ad illorum virtutes conſectandas suppeditant.

Hac de causa non omittendas sed exhibendas duximus illas Salmeronis epistolas, quibus animi sui dolorem suo in Christo parenti ac moderatori Lainio pandit ob inspectionem provinciae, quam P. Madridius nimis severe, suo saltem iudicio, exegisse videtur; non celandas sed proferendas censuimus epistolas, in quibus P. Christophorus de Mendoza officii monetur; et alias similes, quarum notitia historiae utilis omnino a viris prudentibus iudicatur.

Ut autem semel pro semper lectoribus nostris dicamus quae nam sint, quae a nobis in Polanci epistolis omittuntur, ea sunt quae ad vini et obsoniorum emptionem, commeatum, pretii solutionem etc. referuntur. Cum enim Polancus domus et collegiorum romanorum rem domesticam, vinum et caetera ad victum necessaria ex officio sibi commissio procurare deberet, saepissime de his rebus emendis, aut Romam advehendis, in suis litteris ad Salmeronem disſerit, ut passim in iisdem videri poterit.

Restat lectores nostros monere, ex epistolis a nobis in hac

serie proferendis, exiguam omnino partem a P. Boero, vel ab aliis scriptoribus publica luce donatam fuisse. Quas vero ille scriptor in Salmeronis vita inseruit, italico sermone et pro suo more, vel emendatas, vel mutatas, et fere semper decurtatas exhibet. Hac de causa nullas a nobis in hac collectione omittendas, nisi quas jam alibi in nostris MONUMENTIS edidimus, quarum tamen proprio loco mentionem facimus, et locum, ubi illae reperiri poterunt, diligenter notamus. Illas autem, quas Salmeron Lainii nomine scripsit, dum Romae generalis vicarii munere fungebatur, a mense scilicet Septembri anni 1561 ad Majum 1562, paucis demptis, omittendas existimavimus; utpote quae potius Lainium quam Salmeronem spectare videantur. Nec alia de epistolis Salmeronis hic praemittenda habemus.

Jam ad caetera Salmeronis scripta gradum faciamus.

## II.—DE RELIQUIS SALMERONIS SCRIPTIS

Reliqua Alphonsi Salmeronis scripta, partim typis excusa, publici juris facta fuerunt, primo in Hispania, deinde Coloniae Agrippinae, ubi eodem anno 1602, quo hispanica editio absoluta fuit, altera, et accurata quidem, incepta est; partim in manu scriptis asservantur, quae in variis tabulariis delitescunt. De utrisque singillatim in hac praefatione tractandum; ut primo de operibus prelo divulgatis, deinde vero de manu scriptis aliquid pertractemus.

### I.<sup>o</sup>—SALMERONIS OPERA EDITA

Ac primo quidem uno anno antequam liber Exercitiorum, a Frusio latinitate donatus, typis excuderetur, Salmeronis oratio latina Tridenti in festo S. Joannis evangelistae pronuntiata, «in qua ad exemplar divi Joannis evangelistae vera praelatorum forma describitur» mense Martio anni 1547 Romae publici juris fiebat; quam quidem principem editionem plures deinde subsecutae sunt <sup>59</sup>.

<sup>59</sup> Cf. SOMMERVOGEL, *Bibliothèque de la Comp. de Jésus*, VII, 478-479; et vide infra, epist. 18. Editionibus a SOMMERVOGEL recensitis addenda est quae Matrili, anno 1768 prodiiit.

Secundo loco, si ordinem chronologicum teneamus, reponendum est volumen septimum commentariorum Salmeronis, cui titulus «Commentariorvm in Sacrosancta Iesu Christi Euangelia Tomvs Septimvs, Qui inscribitur de Parabolis Domini. Avthore P. Magistro Alphonso Salmerone è Societate Iesv. Nunc primũ in lucem editus. Anno 1597. Cvm privilegio, Matriti, Apud Ludouicum Sanchez... E. el P. Bartolomé Pérez de Nueros <sup>60</sup>.» Cur autem hoc septimum volumen ante alia typis mandatum fuerit, egregius operum Salmeronis editor, P. Bartholomaeus Perez de Nueros <sup>61</sup>, in praefatione ad lectorem his verbis explicat: «Bartholomaeus Perez, Societatis Iesu theologus, benigno Lectori salutem. ALFONSVS Salmeron... Neapolim iam senior ad scribendum secessit... Ibi per otium conscripsit volumina, quae tibi, Lector, sequens pagina indicabit... Quorum operum hic in primis tomus, qui est de Parabolis Domini, quae in Euangeliiis referuntur, exit in conspectum hominum; non quia hic princeps sit, et initium caeterorum; sed quia ab ipsius scriptoris manibus perfectus magis ad nos effluxerit. Hunc reilqui suo ordine consequentur: quorum primus sanctissimi huius ac doctissimi viri vitam latius, ac labores continebit, quos passus est pro Catholica religione... Ac, vt de me loquar, caussamque

<sup>60</sup> Ex P. URIARTE, *Catálogo razonado de obras anónimas y pseudónimas de autores de la Compañía de Jesús, pertenecientes á la antigua asistencia española*, II, n. 3505.

<sup>61</sup> Bartholomaeus Pérez de Nueros et Maynar, bilbilitanus, ortus est anno 1548, Societatem in Castellae provincia ingressus est die 8 Iulii anni 1564; solemnem 4 votorum professionem die 31 Maji 1584 nuncupavit; philosophiae lector in collegio abulensi, cum S. Theresia conversatus est; sacram deinde theologiam prius Vallisoleti et deinde Neapoli, quam urbem anno 1584 attigit, et tandem Romae, professus est. Anno 1587 Roma Complutum missus, ubi rectoris munere cum laude perfunctus, provinciae baeticae annis 1589-1593 praefuit. Anno 1593 quintae congregationi generali interfuit; et Hispaniae assistens anno 1597 creatus, Romae ad annum 1608 permansit, quo in Hispaniam regressus et provinciae toletanae praepositus est, eamque ad annum usque 1612 administravit. Rector tandem collegii complutensis nominatus, hoc munere et vita simul perfunctus est 16 Septembris anni 1614, aetatis sexagesimo sexto et quinquaginta et uno annis in Societate traductis. Ex Patris de Uriarte commentariis, nobis ab eodem humanissime commodatis.



aperiam, cur mihi hoc muneris sit demandatum, et impositum onus, inde hoc contigit, ex quo diuini numinis beneficio hunc virum Neapoli (vbi tum Theologiam profitebar) mirum in modum colui, magnaue ex illius familiaritate et consuetudine emolumenta percepi. Quo sane tempore mecum, tametsi indigno, venerabundus senex, me vt doceret, studia sua communicauit, ac participem laborum fecit. Deinde alia quoque accedit ratio. Nam cum ego illius morti, seu vitae potius felicissimae, quae tum inchoabat, vnus e multis interesset, operam illi meam, diligentiamque promisi, vt illius scripta a me tandem ederentur, quae tanto et Dei zelo, et animarum commodo iam diu ipse elaborasset. Nunc igitur, vt, et promissis stem, et Ecclesiam hoc nouo munere luculenti scriptoris cumulem, hoc onus libenter subii: nouo insuper reuerendi admodum patris Claudii Aquaeuiuae, nostri Praepositi Generalis, imperio astrictus. Hae sunt, benignissime Lector, caussae propter quas laboris huius prouintiam ego vnus prae caeteris Societatis sustinui; quem opto, et Deo gratum, et tibi vtilem fore. Reliqua viri huius facta videbis in primo illius operum tomo, qui post hunc, auctore Deo, atque auspice, lucem intuebitur.»

Ex hisce editoris praemonitionibus «benigno lectori» exhibitis, et ex diversa praefatione, quam idem proculdubio editor in primo commentariorum volumine «Benigno et Sacrarum literarum studioso Lectori» inscripsit, clare perspicitur volumen septimum commentariorum, primo loco excusum Matrity anno 1597; deinde vero anno 1600, mutatis primis foliis, titulo ut diximus, nouae editioni accommodato, et praefatione generali in primum totius operis volumen translata; reliquis voluminibus infra recensendis insertum, denuo in lucem prodiiisse <sup>64</sup>.

Tertio loco recensendi sunt «Alfonsi Salmeronis Toletani, e Societate Iesv Theologi, Commentarii in Evangelicam Historiam, et in Acta Apostolorum, in duodecim tomos distributi». Matrity apud Ludovicum Sanchez, annis 1598-1601, excusi. Accedunt ejusdem auctoris «Commentarii in omnes Epistolas

<sup>64</sup> Cf. URIARTE, loc. cit., II, pagg. 507-508.

B. Pauli, et Canonicas; in quatuor tomos distributi...», ibidem apud eundem typographum anno 1602 editi. Editores sexdecim horum voluminum extiterunt laudatus P. Bartholomaeus Pérez de Nueros et Frater Christophorus López, qui fuit P. Ribadneirae socius et librarius <sup>63</sup>.

In his commentariis collegit Salmeron ditissimos concionum suarum et sacrarum lectionum thesauros, quas longo et laborioso vitae suae cursu in praecipuis Italiae urbibus coram lectissimis auditoribus dixerat. Quonam autem tempore et qua de causa omnia sua scripta prelo committenda ordinaverit, eleganti calamo ipse in praefatione ad candidum lectorem his verbis proficitur: «Sed ut eo redeat oratio, unde digressa est; cum ad hanc aetatem grauiorem, et senectuti proximam, Deo dante, peruenerim, nec ad verbum Dei populo proponendum tam validae vires, et tam firma latera, ut antea, mihi suppeterent, nonnullis magnis viris e re Ecclesiae Catholicae fore visum fuit, si me ad scribendum conuerterem; ut ea, quae diuturna sacrarum Scripturarum meditatione, et longa veterum Patrum lectione eram assecutus, ad communem sanctae Dei Ecclesiae utilitatem scripto proderem. Agnosco prorsus pulcherrimam, et per se honestissimam prouinciam, et quam si ego ex parte aliqua recte administrare possem, Christianae Reipublicae, et sacrarum literarum studio, non inutilem arbitrarer futuram.»

Expendit deinde graves difficultates, quae illum a scribendi labore deterrebant, quas inter non minimam esse fatetur illius saeculi consideratio, quod «omni» ait «disciplinarum genere excultum, eruditionis et humanioris literaturae studio perpolitum, Sacrarum vero literarum cognitione in primis instructum et ornatum: quamobrem qui hoc tempore aliquid vellet in medium adferre, quod non sit vel ingenio elaboratum, vel industria perfectum et limatum, atque adeo eloquentiae viribus fultum, verborumque floribus decoratum, oleum sane et operam perdidisse videri posset... Haec erant», ait Salmeron, «quae animum meum

<sup>63</sup> Vide P. URIARTE, loc. cit., n. 3476, ubi erudite quidem de hac operum Salmeronis editione disserit, aliqua menda Patris Sommervogel corrigit, et obscura quaedam ejusdem auctoris loca illustrat.

ab hoc munere retardabant, ne dicam avocabant: nam explorans me ipsum, cognoscebam quantum esset mihi curta supellex et quam parum haberem in bonis, ut tantae provinciae satis facerem.

Veruntamen haec omnia impedimenta perucit quorundam magnorum virorum autoritas, qui me ad hoc parum propensum, nonnihilque repugnantem, imperiosis vocibus adhortabantur; multorum etiam nostrae Societatis Fratrum et Patrum importunae preces additae sunt, qui cum me magna ex parte propter diuturnam consuetudinem familiaritatemque agnoscerent, putabant rem Ecclesiae Dei non inutilem futuram, si ego eorum sententiae cederem. Videbam praeterea, multa ex his, quae verbo, aut praedicando, aut legendo dixeram, a nonnullis fuisse excepta, et passim multorum manibus teri, et quosdam etiam aliquando tentasse, inscio me, quaedam ex illis in publicum edere, nisi mea diligentia essent auocati et prohibiti: eorum vero pleraque erant lacera, imperfecta, et minus apte expressa, quam a me dicta fuissent. Propterea, ne quid mihi, vt fieri assolet, affingeretur, aut quae bene dicta erant, inepte, aut indocte proderentur, consultum putavi, si ipse meis verbis, et rotundis (si quae sunt) sentiis animi mei sensa explicarem: qua via, et ratione (ne quid dissimulem) libenter assero me ad scribendum fuisse permotum. Coniunctum postremo fuit religiosae obedientiae imperium. Nam reuerendus admodum Praepositus noster Generalis Franciscus Borgia, vir summa vitae integritate, atque prudentia cumulatus, aliquoties me et verbo praesentem, et scripto absentem sollicitavit, ne talentum quod a Domino acceperam, sub terra absconditum reponerem, occasionemque oblatam de Republica Christiana bene merendi, illamque meis laboribus iuuandi, praetermitterem: quam sane Pastoris mei mollem, ac mitem vocem, si praecepti rationem habere interpretari debui, nullam reprehensionis notam apud prudentes lectores, et aequos iudices, me incursum arbitror. Compellor igitur, et mei ingenii naturam expugnare, intellectumque meum quasi collum obedientiae supponere, imbecillitatisque meae atque ignorationis nulla ratione habita, rem longe difficilem, et viribus meis imparem, de Domini auxilio, et obedientiae merito confisus, aggredi.»

Postremo ne quis eum in scribendi negotio, «corniculam Aesopi, alienis plumis indutam,» imitatum, gloriari existimaret, se potius aliorum laboribus, adjutum fuisse summa animi demissione profitetur. Inter quos P. Jacobum Lainium nominat, eumque meritissimis laudibus extollit. Gratum nostris lectoribus facturos arbitramur, si tanti viri elogium ipsius Salmeronis verbis in hoc loco referamus, quae ita habent: «Cum autem his, qui adhuc superstites sunt, aut paullo ante vita sunt functi, multa me debere non ignorem, nonnullosque consulto nominatim enumerare possem, vnum tamen prae ceteris non putaui mihi esse silentio praetereundum, nimirum reuerendum admodum, religiosissimumque pariter ac doctissimum patrem Iacobum Laynis, felicis recordationis, Generalem quondam nostri instituti Praepositum, virum profecto singulari, ac pene diuino, ingenio praeditum, multarumque disciplinarum eruditione pene ad miraculum instructum; praestantissimoque iudicio, atque eminentissimo in Scripturarum sacrarum, ac veterum Patrum lectione cumulatam. Quem ego si pro eius meritis celebrare vellem, grandiori, ac faciliiori eloquentia, quam quae mihi contigit, commendandum, exornandumque esse non dubitarem: parco tamen, ne quisquam me illi plus aliquid tribuisse ob amicitiam existimet, praesertim eorum, qui illum non agnouerunt; aut, vt verius dicam, ne me tantis eius sanctae vitae, ac singularis doctrinae ornamentis (quae toti Ecclesiae in Synodo Tridentina compertissima atque exploratissima extiterunt) imparem et minus cultam orationem attulisse iudicare valeat. Caeterum cum mihi coniunctissima quaedam atque indiuidua vitae, instituti quoque, ac studiorum ratio et communio, etiam ante nostrae Societatis institutionem, cum eo, plane singulari Dei munere intercesserit, ingrati profecto animi notam euadere me posse non putarem, nisi praesenti praefatione testatum omnibus redderem, me illius plane magni quondam in Ecclesia Dei viri studiis ac laboribus magnopere adiutum, atque subleuatam fuisse <sup>61</sup>.»

In volumine XII commentariorum Salmeronis, post explana-

<sup>61</sup> Hoc Lainii elogium, ex eadem praefatione depromptum, edidit GRISAR, *Jacobi Laines... disputationes tridentinae*, I, 55 \*.

tionem libri Actuum Apostolorum habentur quatuordecim tractatus, sub numeris LXI-LXXIV editi, quos P. Grisar <sup>85</sup> non a Salmerone, sed ab ejus scriptorum editore, Patre Pérez, multis quidem ex originali exemplo, quod ille Lainio adscribit, truncatis, mutatis ac deformatis, ibidem insertos fuisse suspicatur. Hoc autem non ita factum fuisse perspicue eruitur ex sequentibus argumentis: 1.<sup>um</sup> ex epistola a laudato P. Pérez de Nueros, Patri Aegidio González Dávila die 20 Februarii anni 1585 data, quae in bibliotheca Regiae Academiae matritensi «de la Historia» asservatur, ubi ait Salmeronem, cui ipse ad mortem usque adstitit, intimaque cum eodem consuetudine conjunctus vixerat, omnia sua scripta ita ordinata et disposita reliquisse, ut prelo statim sine nova recognitione committi possent; unde aperte eruitur Patrem Pérez nihil aliud egisse quam editionem operum procurare <sup>86</sup>. Quod autem ille in epistola nuncupatoria ad Claudium Aquamvivam ait se «auctum aliqua ex parte et excusum» reddere eidem, a quo acceperat Salmeronis opus, non de eodem opere, sed tum de duplici epistola operi praefixa, altera quidem praeposito generali Societatis, altera candido lectori inscripta, tum de vita P. Salmeronis, quam initio primi voluminis adjecit, intelligendum videtur. De caeteris haec intelligere, quae in sexdecim voluminibus exhibentur, prorsus arbitrarium judicamus.

2.<sup>um</sup> argumentum duci potest ex altera epistola, et quidem autographa, quae in codice *Epist. Salmer.*, primo loco reperitur, a P. Francisco Foliano Patri Claudio Aquaevivae die 16 Februarii 1585 data. Antequam vero eam in medium proferamus, animadvertendum censemus Patrem Folianum, qui socius et amanuensis erat P. Salmeronis, eo vita functo, jussu fuisse rationem reddere praeposito generali de scriptis ejusdem Salmeronis; quod ille statim praestitit, haec eidem Patri Claudio de hoc negotio scribens: «Poichè è parso ai superiori ch' io dessi ragguaglio a V. P.<sup>ta</sup> de' scritti del R. P. Salmerone (quale mercodì prossimo passato nostro Signore chiamò a se, per darle il premio di tante sue fatiche per la sua santa chiesa e questa minima

<sup>85</sup> Loc. cit., I, 53 \* et seqq.

<sup>86</sup> Ita rem habuisse affirmat P. Uriarte, loc. cit., II, pag. 508.

Compagnia sua, massimamente nella città di Napoli, a cui sua vita quasi tutta consacrò) procurerò di farlo con ogni breuità; ancorchè senza tal ordine e carico impostomi, da me medesimo mi doueuo addurre a fare quest' vffitio, e per rispetto e obbligo che teneuo a così gran Padre, cui fatiche di tanti anni passate per le mani mie (quali si siano) per se si conoscessero e riconoscessero da V. P., afinchè fossero indirizzate a qualche buon fine suo desiderato... Saperà dunque V. P. che l' opere del P. Salmerone sono diuise in tre classi: La prima è euangelica, inscritta della vita, dottrina, morte e resurrettione di N. Signore, diuisa in 12 libri ben grandi chi più, che manco, di quali li quattro primi furono riueduti dal P. Roberto Bellarmino; gl' altri otto dal P. Pais, di buona memoria, eccetto la mità dell' vltimo, ch' è il più longo di tutti (nel qual si comprende tutt' il libro e volume de gl' Atti Apostolici), perchè s' ammalò, di qual malattia egli morì: e questa parte riuedo io adesso (quanto a me tocca) correggendo e rinouando alcune cose (al solito) da me malamente scritte, e raccoppiate ancora...» *Hactenus Folianus; ex cujus epistola scimus volumen commentariorum in Acta Apostolorum, in manuscriptis fuisse inter octo, quae ibi recenset, maximum; et ita etiam in editione coloniensi, quam prae oculis habemus, contingit; nam reapse ex octo voluminibus, quae quantum subsequuntur, maximum est ultimum; cui si demas tractatus de jurisdictione episcoporum, non certe inter alia majus erit, ut quivis, si lubeat, videre poterit.*

3.<sup>um</sup> argumentum procedit ex collatione tractatus a P. Grisar editi cum tractatibus Salmeronianis, in praefato volumine exhibitis. Quicumque utramque lucubrationem attente et sine praeeudicio consideraverit, quamvis cum P. Grisar fateri debebit priorem «referre faciem, ut ita dicamus, originalem», scilicet formam imperfectam quam Tridenti Lainius, vel Salmeron, vel uterque simul, huic labori nondum expolito contulerunt; nequaquam tamen admittere poterit alteram referre idem opus infelicitè praecisum ac detruncatum. Et sane haec altera lucubratio idem opus, a Salmerone novis curis expolitum, stilo limatiori exornatum, pluribus Patrum et sacrae scripturae testimoniis ditatum,

et, expunctis quibusdam singularibus, quae ad concilii tridentini disceptationes pertinebant, suis tractatibus de ecclesia Christi accommodatum, omnium temporum studiosis exhibet. Ex quibus apparet iudicium a P. Grisar de hoc opere Salmeronis prolatum prorsus a rei veritate abhorreere, dum ait illam disputationem «a manu posteriore (non quidem Salmeronis, ut putamus, sed editoris) esse praecisam, decurtatam, ut ne dicatur mutilatam»; et dum de Patre Pérez de Nueros, viro gravissimo et prudentissimo, haec affirmat: «Sicque concludere fas est, editorem operum Salmeronis exemplar vetustius quam vel ipsum nostrum, prae manibus habuisse, in quo suam detruncationis artem [!] exerceret, etsi non semper, ut vidimus, cum debita attentione<sup>67</sup>».

Ex allatis rationibus duo concludere jam possumus: primum, certo Salmeroni adscribendos esse tractatus, qui duodecimo volumini ejus operum inserti sunt; ab eò enim, quales habentur, emendati et limati inter caetera propria scripta repositi sunt<sup>68</sup>. Alterum autem, si minus certe, at valde probabiliter existimari potest, tractatum illum originalem, Tridenti lucubratum, aut a Salmerone scriptum et a Lainio emendatum, aut ab utroque pariter fuisse compositum. Et hoc quidem neque ipse P. Grisar, qui Lainio paternitatem operis tribuendam censet, Salmeroni inficiandum arbitratur, cum haec ad rem scribere non dubitat: «Salmeronem quod spectat, forsitan eo minus a vero aberrabimus, si partem notabilem laboris eidem adscripserimus, quod Disputatio nostra ab editore operum Salmeronis vel pro opere Salmeroniano haberi potuit, ut statim videbimus.» Et re quidem vera, si prae oculis habeantur multiplices occupationes, quibus Lai-

<sup>67</sup> Vide quae supra, annot. 61, de P. Bartholomaeo Pérez de Nueros scripsimus, quae quidem Patrem Grisar prorsus ignorasse videtur, cum tales artes ei attribuit.

<sup>68</sup> Omnes fere auctores, qui de Salmeronis scriptis disserunt hos tractatus, sive explicite, sive implicite, eidem adscribunt. Cf. HURTER, *Nomenclator literarius*, I, 80; ANDRIES, *ibid.*, annot. I; POSSEVINUM, *Apparatus Sacer.*, I, 46; et NICOLAUM ANTONIUM, *Bibliotheca hispana nova*, I, 46. Post Patrem GRISAR, SOMMERVOGEL, *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus*, VII, 483; et BRAUNSBERGER, *Canisii epist.*, III, 448, de his tractatibus disseruerunt. Prior autem Patris Grisar sententiae adhaeret; alter vero rem integram relinquere videtur.

nus Tridenti distinebatur, si multae litterae, quae ejus nomine et ipso consulto ad universam Societatem quotidie ferme scribebantur, quae quidem plura volumina complent, considerentur; si ejusdem infirmæ valetudinis ratio habeatur, credibile admodum fiet præcipuam laboris partem in illo tractatu conficiendo a Salmerone susceptam fuisse<sup>69</sup>. Et de hac re satis superque dixisse arbitramur.

## 2.°—SALMERONIS SCRIPTA INEDITA

2.° Praeter epistolas, de quibus supra diximus, aliqua, licet pauca, Salmeronis scripta prelo nondum commissa, in aliquibus archivis asservantur. Ac primo loco recensenda est versio hispanica orationis de S. Joanne evangelista, de qua supra, pag. xxiv, diximus. En hujus versionis titulus:

1. «Oración del Reuerendo Padre Maestro Alonso de Salmerón de la Compañía de Iesús, theólogo, hecha agora poco ha en el Concilio Tridentino, en la qual se pinta la verdadera forma de los Perlados A semejanza de Sant Juan Euangelista.» Vol. in 4.°, 12 ff. in fol.—Hoc mss. exstat in archivo collegii malacitani S. J.—Alterum exemplum olim possidebat collegium imperiale matritense<sup>70</sup>.

2. «Responso ad articulos de indulgentiis a R. P. Alphonso Salmerone data<sup>71</sup>.»

3. «Predica del P. Salmeron de natiuitate Domini.» Quaternio solutus 6 foliis constans<sup>72</sup>.

4. «Salmeronis exhortationes.» Volumen infra inter codices sub numero 8 describendum.

5. «Concio habita in die Assumptionis a P. Salmeron Romae 1558<sup>73</sup>.»

6. «Varias persecuciones de la Compañía, de que dió noticia el P. Salmeron.» Hac lucubratione usus est P. Ribadeneira

<sup>69</sup> Vide infra, pag. XLV, cod. 10.

<sup>70</sup> Ex scheda a P. Uriarte nobis commodata. Vide infra, annot. 75.

<sup>71</sup> Ex codice 7, infra describendo, ff. 85-121, sub n. 3.

<sup>72</sup> Ibid., n. 7.

<sup>73</sup> Ex codice 8, infra describendo, ff. 80-89, sub n. 7.



in suo opere «*Persecuciones de la Compañía de Jesús*» ubi fere totum hunc Salmeronis tractatum emendatum transcripsit initio operis. Sed ea, quae Ribadeneira postea suo libro addidit, opus multo amplius, locupletius ac elegantius constituunt, cujus tamen prima idea ac origo huic Salmeronis primae lucubrationi debere videtur <sup>74</sup>.

7. «Commentaria in sex priora capita libri Geneseos, quorum sextum incompletum remansit <sup>75</sup>.»

8. «Raccolta di cose udite dalle Lettioni et prediche del R. Messer Alfonso Salmeron, uno dei fundatori della Compagnia di Giesù — Ce MS. de Battista Peretti est à la bibl. de Vérone <sup>76</sup>.»

9. «"P. Alphonsi Salmeronis Italicas Conciones reperi duobus tomis comprehensas, quae quidem Venetiis in Societatis templo fuerunt recitatae. His adcedunt sex ejusdem Salmeronis Lectiones in Ps. cxviii: «Beati immaculati in via» Romae habitae a. 1561." (Zaccaria: *Excurs. Litter.* T. I, p. 152).—Ce MS. se conservait au collège de Modène <sup>77</sup>.»

10. «Alphonsus Salmeron. Sermones italice et Conceptus varii ejusdem MS. sunt in Bibliotheca Vaticana Codic. 4625.

<sup>74</sup> Ex codice 9. Vide infra, pag. XLV.

<sup>75</sup> Ex epistola P. Foliani supra, pagg. xxx-xxxi, citata. P. BARTHOLOMAEUS ALCÁZAR, *Chrono-Historia de la Compañía de Jesus en la Provincia de Toledo*, vol. III, ms., Década V, anno 1585, cap. VI, § 1, haec habet: «Guárdanse originales en el archivo de este colegio imperial, un tomo suyo, sin perficionar, de commentarios sobre el Génesis; otro de cartas suyas, borradores de respuestas á muchas questionnes theológicas; y en lengua española, la oración que en el concilio tridentino dixo, en la festividad de S. Juan evangelista, de la verdadera idea de los prelados. Y en el archivo del colegio de Alcalá, varios de sus sermones traducidos del italiano al idioma latino.» Haec scribebat P. Alcázar Matriti circa annum 1710, quo secundum volumen Chrono-Historiae typis excusum est. Unde patet eo tempore manu scripta Salmeronis supra recensita, partim in collegio imperiali matritensi Societatis Jesu, partim in complutensi, asservata fuisse. An ad nostra usque tempora omnia illa scripta, praeter orationem de S. Joanne Baptista, de qua superius diximus, conservata fuerint, incompertum habemus.

<sup>76</sup> Ex SOMMERVOGEL, *Biblioth. de la Comp. de J.*, VII, 483.

<sup>77</sup> Ibid.

4626. 327. ubi et Lectiones sacrae praesertim de Eucharistia Neapoli factae, habitae anno 1567. Italica lingua d. cod. 4625 <sup>78</sup>.»

11. «Prediche del Rev.<sup>do</sup> Pre. Mag. Alphonso Salmerone theologo della comp.<sup>a</sup> di Giesu sop. le parabole del Sacro Evangelo per tutta la quaresima in Roma nel 62. In 8.<sup>o</sup>, pp. 750.— Se trouvait en 1892 au scolasticat de Maria—Laach et a dû être transporté ailleurs <sup>79</sup>.»

12. Volumen continens adversaria responsionum Salmeronis ad varias quaestiones theologicas eidem propositas <sup>80</sup>.

13. Salmeronis conciones variae ex italico in latinum sermonem conversae <sup>81</sup>.


---

<sup>78</sup> Ibid. ex NICOLAO ANTONIO, *Bibliotheca hispana nova*, tit. *Alph. Salmeron*, loc. cit.

<sup>79</sup> Ex SOMMERVOGEL, loc. cit.

<sup>80</sup> Ex ALCÁZAR, loc. cit. in annot. 75.

<sup>81</sup> Ex ALCÁZAR, loc. cit. ibid.



---

## PRIMI VOLUMINIS PROOEMIUM

---

Cum in generali praefatione de epistolarum Salmeronis genere ac de ratione in iis edendis servata dixerimus, nunc de hujus voluminis monumentis distinctius ac enucleatius disseremus.

Hoc igitur volumen tercentum et sexaginta circiter epistolas vel alia monumenta complectitur, ab anno 1536 ad 1565 lucubrata; ita ut, si aliqua ante Societatis institutionem data, quae in appendice reperiuntur, excipias, caetera omnia hujus libri monumenta annis 1540-1565, quibus Ignatius de Loyola et Jacobus Lainius Societatem gubernarunt, exarata fuere.

Harum vero litterarum bona pars, nonaginta scilicet et quatuor, sunt autographa vel originalia Salmeronis, tredecim apographa coaeva, quae, ubi desunt originalia, a nobis proferuntur, centum octoginta et tres litterae a Polanco ex generalis praepositi commissione Salmeroni datae, quae ex regestis infra describendis transcriptae sunt. His adde septuaginta, plus minusve monumenta, quae sive ad praefatas epistolas illustrandas, seu ad Salmeronis acta locupletanda, in appendice ad calcem voluminis exhibentur.

Si autem de rebus in his epistolis pertractatis scisciteris, tamen non omnia nova, nec ad historiam aequae utilia esse fateamur, plura certe suppetunt, quae frustra alibi quaesieris, multa profecto quibus variarum nostrae Societatis provinciarum historiae ditescere possint. Jamque in ipso hujus libri vestibulo prostat epistola Salmeronis die 2 Februarii data, quae anglicae provinciae scriptoribus nova aliqua suppeditabit, quibus suae provinciae primordia illustrare valeant. Nullibi etenim edita hactenus vidimus, quae ibi de Salmeronis et Broëti in Hiberniam itinere enarrantur. Ac primo quidem ex Salmerone scimus eos non in

portu Galliae, ut ait P. Prat <sup>1</sup>, sed in Flandria navem conscendisse; in summo vitae discrimine eos versatos, bisque ob validas tempestates terram capere in portubus Angliae coactos fuisse, ubi festum Natalis Domini transegerunt. Alata Castra post tot discrimina perveniunt, ibique Scotiae regem et reginam congregiuntur, a quibus comiter et perhumaniter excepti, in suae legationis prosecutione juvantur. Saepius cum regina colloquuntur, cui litteras commendatitias, ab episcopo remensi, ejus fratre, datas, exhibent; et de eorum vocatione ac vitae instituto sciscitanti satisfaciunt; nec desunt in tam dissitis regionibus, qui apostolicos legatos agnoscant, eorumque vitam et mores apud dynastas collaudent; regis Galliae legatus Joannes de Morvillier, qui, Deo providente, iis diebus ad Scotiae regem missus fuerat, quamvis Patribus ignotus, nec ab iisdem rogatus, eos regi commendavit, eorumque vitam et instituta laudibus exornavit. Exinde vero tanto amore erga Patres ille vir nobilis affectus est, ut eos saepius ad suam mensam invitaverit, aliaque amicitiae non dubia signa praebuerit, vitaeque spiritualis documenta ab iisdem audire exoptaverit, quamvis id opere exsequi impeditus fuit (2-10) <sup>2</sup>. Plura insuper de eadem expeditione in altera epistola 9 Aprilis 1542 data, uberius quam in Chronico Polanci tractata, reperiuntur (10-14).

Patrum ac theologorum Concilii tridentini animum diverse affectum erga nostrates Tridentum advenientes pulchre describit Salmeron, ubi eos in tres classes dispescens, primos sincero amore nostros excepisse, eorumque adventu laetatos fuisse ait; alteros vero Societatem, veluti rem nugacem ac risibilem, contempsisse; tertios, qui spirituales homines videbantur, caute ut rem periculosam, eandem Societatem tractandam existimasse (19).

Cum autem de patriarcha Aethiopiae deligendo Ignatius sociorum Tridenti commorantium vota exquireret, Salmeron Paschasium Broëtum nominat, cujus quidem votum, a Boero Patri

<sup>1</sup> *Mémoires pour servir à l'histoire du Père Broët*, pag. 55.

<sup>2</sup> His numeris intra uncinos clausis paginae hujus voluminis notantur.

Jajo adscriptum, a Salmerone exaratum fuisse et proprio nomine datum demonstramus (31).

De Joanne Bermudes, qui a quibusdam rerum aethiopicarum scriptoribus verus ac legitimus patriarcha fuisse dicitur, ab aliis autem in dubium id revocatur, exstat in hoc libro epistola Salmeronis, ubi testimonium cardinalis Marcelli Cervini de hoc negotio profertur, unde nova lux iis accedit, quae a P. Camillo Beccari tanta monumentorum copia illustrantur (34-36) <sup>5</sup>.

De oratione, insuper, quam Salmeron Tridenti, in festo S. Joannis evangelistae anno 1546 apud tridentinos patres quam plurimos pro suggestu dixit, eruditam prorsus epistolam idem Salmeron P. Antonio Achilli scriptam nobis reliquit, qua cujusdam doctoris parisiensis acrem ejusdem orationis censuram refellit, doctrinamque suam solidis argumentis defendit, simulque religiosae modestiae ac demissionis exemplum praebet, dum suam lucubrationem publicae lucis non dignam censet (41-47).

Quantum vero ad collegii bononiensis exordia et ad quam aptissimas eidem sedes comparandas noster Salmeron insudaverit, plures ejusdem litterae luculenter patefaciunt (50, 55-70). Nec solum bononiense collegium illi egregio viro debitorem se fatetur, verum et venetum, cujus primae aedes a Salmerone Societatis nomine acceptae in possessionem fuerunt (78-79); patavinum, pro quo multos etiam labores suscepit (76-77); et plura alia, sed prae omnibus neapolitanum et alia illius provinciae gymnasia, in quorum institutione ac dotatione tot annis eximiam operam ac indefessos labores posuit (104, 106-109, 296, etc).

Quoniam autem nimis diffusa evaderet haec praefatio, si de singulis collegiis sermo institueretur, de nolano tantum aliquid attingemus; de caeteris vero lectores nostros ad indicem rerum remittimus; ubi singulorum distincta mentio fiet. Nolanum porro collegium, quod primum illius provinciae, post neapolitanum, exstitit, de ejusque initiis, fundatoribus, personis ac rebus frequenter disserit Salmeron in suis litteris, quibus respondent suo

<sup>5</sup> Cf. BECCARI, *Rerum aethiopicarum scriptores occidentales inediti a saeculo XVI ad XIX*, I, 79; II, 345-347; III, 41.

loco epistolae Polanci, ex commissione generalium praepositorum scriptae (245, 250, 254, 262, 310, 313-314, 316-318, 322-323, 338, etc.).

De templo quoque amplissimo, quod Neapoli, Salmeronis cura ac studio, erectum est, plura in his epistolis commemorantur (160, 249, 328, 337, 446, 483, etc.).

Demum, ut hujus praefationis finem faciamus, nonnulla ex argumentis in his litteris pertractatis strictiori calamo innuemus. Ac prae omnibus, ipsius Salmeronis vita, labores, conciones, virtutes et egregia facinora in hisce monumentis clarius et uberius quam in libris hactenus de eo evulgatis, purissima veritatis luce circumfusa, nobis proponuntur. Quanta aviditate vel summi viri Salmeronem pro suggesto dicentem audirent (114, 115, 122, 141, 143, 145-146, 150, 155, 157, 158, 161, 170, 237, 299); quo honore, qua existimatione a regibus et optimatibus habitus (4, 126-127, 219-223, 228-237, etc.); in his tamen honoribus suimet ipsius semper contemptor deprehenditur (31, 38, 46, 463, 470, 488, etc.); caritatis et concordiae fautor (283, 313, 388); fidei catholicae strenuus defensor, etiam cum virorum principum offensione (52, 415); quamvis vero cardinalis Moroni, ob suspensiones levi fundamento innixas, offensio non Salmeronem dumtaxat sed Societatem respexerit, haec semper optima officia tam pio et amico viro praestitit (235, 354-355). Multa insuper de Lainio ejusque scriptis ac laboribus (112 113, 359, 442, 458-459, 462-465, 473, 476, 480, etc.); de Bartholomaeo Carranza, ejusque catechismo (230, 235, 252, 256, 271, 274, 276); de bibliotheca columbina (287-288); de conclavi pro electione novi pontificis anno 1559 habito, cui Lainius interfuit (347-348, 350-354), in his litteris continentur. Haec et alia bene multa haud injucunda nostris lectoribus, nec historiae tum ecclesiasticae, tum nostrae Societatis, inutilia fore confidimus. Restat ut de codicibus in hoc volumine adhibitis pro more nostro aliqua praenotemus.

---

---

## RECENSIO CODICUM

EX QUIBUS MONUMENTA IN HOC OPERE EDITA DEPRIMUMTUR <sup>1</sup>.

---

### CODEX EPISTOLARUM SALMERONIS

PRAECIPUE IN HOC OPERE ADHIBITUS <sup>2</sup>.

#### Codex 31.

*Epist. Salmer.*—Vol. om,337 × om,221; membrana compositum.

Inscriptio a tergo in corio fusci coloris litteris deauratis: «EPISTOLAE | P. SALMERONIS.»

Monumentis 253 stilo lapideo recenter signatis coalescit.

Continet epistolas Salmeronis, magna parte autographas vel archetypas, quarum plures S. Ignatio datae sunt. Aliquae insuper S. Ignatii vel aliorum ad ipsum, vel ad alios de ipso. Praecedunt 5 folia non signata, a compositore libri addita, quorum secundum hanc in priori facie habet inscriptionem, manu fratris Trigos nitide exaratam: «Epistolae | P. Alphonsi Salmeronis | ab anno 1542 | ad annum 1580.»

CODICES JAM A NOBIS ALIAS DESCRIPTI ET HIC ADHIBITI

Ex prima serie *Monumentorum S. Ignatii* sequentes usurpati sunt:

Codex 1.—*Regest. I-V*. Descriptus in pagg. 28-30.

Codex 2.—*Cod. Rom. I*. Descriptus in pag. 32.

Codex 4.—*Epist. Polanci*. Descriptus in pag. 33.

Codex 6.—*Cod. Rom. II*. Descriptus in pagg. 33-34.

Codex 11.—*Brevia et rescr. ant.* Descriptus in pagg. 35-36.

Codex 20.—*Epist. Quadrim. I*. Descriptus in pagg. 39-40.

Codex 21.—*Epist. Mixtae*. Descriptus in pag. 40.

Codex 30.—*Epist. Lainez*. Descriptus in pag. 43.

Codex 36.—*Epist. Cardin.* Descriptus in pag. 45.

---

<sup>1</sup> Videantur annotationes, quae habentur in *Monum. Ignat., Epist.*, I, 27.

<sup>2</sup> Ejus descriptio ex *Monum. Ignat., Epist.*, I, 43, desumitur. Vide etiam, quae supra, pagg. XX-XXIV, diximus.



- Codex 37.—*Epist. Episcop.* Descriptus in pag. 45.  
 Codex 40.—*Cod. diversor.* Descriptus in pag. 46.  
 Codex 46.—*Var. Histor. I.* Descriptus in pagg. 48-49.  
 Codex 52.—*Cod. Belero.* Descriptus in pag. 52.  
 Codex 60.—*Cod. Matrit. I.* Descriptus in pag. 56.  
 Codex 68.—*Cod. Ebor. I.* Descriptus in pag. 62.  
 Codex 69.—*Cod. Ebor. II.* Descriptus in pag. 62.

## CODICES NONDUM A NOBIS DESCRIPTI

## Codex 1.

*Italia (1557-1559).*—Vol.  $0^m,274 \times 0^m,208^3$ ; membrana olim compositum.

Inscriptio a tergo, manu exarata: «Italia | 1557. 1558. 1559» Eadem inscriptio in prima facie operculi iteratur.

Continet initio 2 ff. non signata, ubi est index epistolarum; et 499 ff. scripta et atramento signata.

Hic codex et quatuor sequentes sunt regesta epistolarum Roma ad Italiae domos ex praepositi generalis commissione transmissarum. Prima hujus voluminis epistola 17 Octobris 1557, ultima vero 10 Junii 1559 data fuit.

## Codex 2.

*Italia (1559-1560).*—Vol.  $0^m,280 \times 0^m,210$ ; membrana antiquitus compositum.

Inscriptio a tergo, manu scripta: «Italia | 1559. 1560.» Haec inscriptio in priori operculi facie iteratur.

Continet 6 ff. pura et 377 ff. scripta et atramento signata. Prima epistola 10 Junii 1559, ultima autem 26 Octobris 1560 data est.

## Codex 3.

*Italia (1560-1562).*—Vol.  $0^m,285 \times 0^m,210$ ; membrana olim compactum.

Inscriptio a tergo, manu exarata: «Italia | 1560, 1561, 1562.»

---

<sup>3</sup> Mensurae codicum hic exhibitae, ex foliis libri, non autem ex operculis, sunt desumptae.

Continet 2 ff. pura et 580 ff. scripta, quorum 305 atramento, caetera vero lapideo stilo signata sunt. Incipit ab epistola 28 Octobris 1560 data et desinit in litteris 26 Junii 1562 exaratis.

#### Codex 4.

*Italia (1562-1564).*—Vol.  $0^m,278 \times 0^m,210$ ; compositum et membrana a tergo munitum.

Inscriptio a tergo, manu scripta: «Epistolae | Italiae | 1562 | 1563 | 1564.»

Continet 2 ff. pura et 382 scripta et atramento signata. Ad calcem 1 fol. purum. Prima epistola 26 Junii 1562, ultima vero 15 Aprilis 1564 exarata est.

#### Codex 5.

*Italia (1564-1565).*—Vol.  $0^m,278 \times 0^m,210$ ; antiquitus compositum et membrana a tergo munitum.

Inscriptio a tergo, manu exarata: «Epistol. | Italiae | 1564 | 1565.»

Continet 2 ff. alba et 380 ff. scripta et atramento signata. Ad calcem 1 fol. purum. Prima epistola 16 Aprilis 1564, ultima vero 9 Juni 1565 data est.

#### Codex 6.

*Germania. Gallia. Polonia (1561-1565).*—Vol.  $0^m,270 \times 0^m,210$ ; recentissime compactum et membrana a tergo et in angulis operculi munitum.

Inscriptio a tergo, manu scripta: «Germania. | Gallia. | Polonia. | 24. Maii. 1561 | 30. Augusti. 1565.»

Continet 1 fol. purum recenter additum, 1 fol. album antiquum et 304 ff. scripta et atramento signata. Ad calcem 1 fol. purum antiquum et 1 fol. recenter adjectum. Primae et ultimae epistolarum dies a tergo notati sunt. Hae autem litterae sunt quae Roma ad provincias Germaniae, Galliae et Poloniae jussu praepositi generalis mittebantur, et in hoc regesto transcriptae fuerunt.

#### Codex 7.

*Lainii et Salmer. tractatus. varii.*—Vol.  $0^m,220 \times 0^m,160$ ; assutum et operculo chartaceo munitum.

Inscriptio a tergo quondam exarata, temporis injuria periit. Altera

inscriptio in priori operculi facie ita habet: «Jacobi Lainez et Salmeronis tractatus varii.»

Continentur in hoc codice tractatus varii a diversis librariis exarati, in ff. 157. En tractatum titulos: 1. «Summa eorum, quae per R. P. Jacobum Laynez e suggestu proposita sunt populo genuensi circa mercatorum frequentiora negotia.» ff. 1-57.—2. «De fuco et ornatu mulierum.» ff. 58-81.—3. «Responsio ad articulos de indulgentiis a R. P. Alphonso Salmerone data.» ff. 85-121.—4. «De ritu sacramenti Eucharistiae, ex 3.<sup>a</sup> parte D. Thomae excerpto, quaestione 83.<sup>a</sup>» ff. 123-134.—5. «De censuum emptione et venditione.» ff. 135-146.—6. «De vectigalibus et aliis publicis vectigalibus brevis tractatus.» ff. 147-157.—7. In quaternione soluto, 6 ff. «Predica del P. Salmeron de natiuitate Domini.»

### Codex 8.

*Lainii et Salmer. exhortationes.*—Vol. 0<sup>m</sup>, 215 × 0<sup>m</sup>, 142; membrana compactum.

Variis quaternionibus a diversis amanuensibus exaratis, omnibus foliis signatis, coalescit.

Inscriptio in tergo: «Exhortationes | Laynez | Salmeron | Ordinationes | avisi | praxes.»

Tractatus in hoc codice contenti sunt: 1. «Come si han da gouernar' quelli che attendono al prossimo in Soc. Jesu.» Sex capita industrialium, italice, ff. 1-23.—2. Excerpta de virtute charitatis, ex P. Toleti adhortationibus, italice, ff. 25-40.—3. Excerpta de virtute castitatis, ex iisdem adhortationibus, italice, ff. 40-47.—4. «Dialogo del frequentar la sacra comunione», italice, ff. 48-50.—5. Adjumenta ad privatam reformationem sui ipsius, italice, ff. 53-66.—6. «Seconda parte. Degli sacramenti», italice, ff. 69-78.—7. «Concio habita in die Assumptionis a Salmeron Romae 1558, ff. 80-89.—8. «De cognitione sui», latine, ff. 92-112.—9. «In die S. Thomae», italice, ff. 113-117.—10. In epist. S. Pauli ad Romanos, cap. 18, italice, ff. 118-128.—11. Lectiones Romae habitae a P. Laynez in 1.<sup>a</sup>, 2.<sup>a</sup> et 3.<sup>a</sup> dominica Adventus, italice, ff. 130-134.—12. «Brevis tractatus de censibus», latine, ff. 138-143.—13. «Tractatus de symonia a R. P. Laines», latine, ff. 148-165.—14. Promissiones Vet. Testamenti de Christo, et earum impletiones, latine, ff. 172-185.—15. «Quali de uano esser li costumi et uita del religioso», italice, ff. 186-190.—16. «Essamine generale della conscientia...» Ex libro Exercitiorum, ff. 191-199.—17. «Peccata cordis, quae et cogitationes dicuntur, sunt haec», ff. 200-205.—18. «Quae privatis personis Soc. Jesu conueniunt ex litteris et con-

cessionibus apostolicis, latine», ff. 206-215.—19. Varia de instituto Societatis Jesu, etc., ff. 216-246.—20. «Qua ratione scribendi uti debeant, qui extra Urbem in Societate nostra versantur», ff. 247-250.—21. «Es-sortationi del P. Laines... sopra l' esame della Compagnia.» 3 ff. non signatis.

## Codex 9.

*Persecuciones de la Compañía.*—Quaternio 0<sup>m</sup>,313 × 0<sup>m</sup>,220; solutus, in archivo provinciae toletanae, capsula B, n. 39.

Inscriptio in prima facie primi fol.: «Varias persecuciones de la Comp.<sup>a</sup>, de que dió noticia el P. Salmerón.» Altera ibid. inscriptio: «Del P. Salmerón.»

Continet 6 ff. scripta et unum fere purum initio positum, ubi est inscriptio et fragmentum quoddam, ad aliam lucubrationem pertinens. Manus est ignota, cum pluribus Ribadeneirae autographis emendationibus. Vide supra, pagg. xxxiii-xxxiv.

## Codex 10.

*Laines collectanea.*—Vol. in f.<sup>o</sup>, variis opusculis non ejusdem dimensionis coalescens, membrana compositum.

Inscriptio a tergo grandiusculis litteris manu exarata: «Iacobus | Lainez | Collectanea.»

Folios 1-462, ex ordine signatis, et, si pauca demas inter singulos tractatus posita, scriptis, coagmentatur.

In hoc codice, quem P. Grisar littera A insignivit, praeter tractatus septem ab eodem, ex P. Boero <sup>4</sup>, loc. cit., pagg. 25\*-26\*, recensitos, plures alii continentur, non omnes a Lainio compositi. Saltem enim illae annotationes, quae ff. 321-332 habentur, in censuram facultatis theologicae parisiensis, non a Lainio sed a Michaële Baio scriptae fuerunt. Alii vero tractatus, de residentia episcoporum, de cultu imaginum, de praesentia reali Jesu Christi in sacramento eucharistiae (qui postremus Polanci manu exaratus est) quamquam probabili conjectura Lainio adscribendi videantur, id tamen certo affirmare non possumus. Praestantissima sane hujus codicis pars est tractatus, cui titulus: «Disputatio de jurisdictione episcoporum et Romani Pontificis primatu» ff. 150-243, de qua superius, pagg. xxx-xxxiii disseruimus, et hic aliqua addenda erunt, ut illa melius intelligantur. Hic igitur tractatus a

<sup>4</sup> *Vita del... P. Giacomo Laines*, pag. 341 et seqq.

duobus librariis exaratus fuit, quorum prior folia 150-205 scripsit, alter vero reliqua a fol. 205v ad finem usque exaravit. Nullibi manus Lainii nec Salmeronis apparent. Paucae, quae exstant, emendationes, librariorum manu factae videntur. Non ita contingit in tractatu «de calice laicis porrigendo», qui paulo ante hanc disputationem habetur, ubi frequentissimae Lainii emendationes conspiciuntur, et interdum etiam Salmeronis, qui propria manu quinque versus exaravit. Haec autem disputatio nullum titulum praefert, unde operis paternitas certo constat; nam sub illo titulo a tergo codicis posito «Iacobi Lainez collectanea» aliquod opus Michaëlis Baii et alia opuscula incertae paternitatis contineri vidimus. Ex his patet Patrem Grisar, nimis Patri Boero fuisse, dum ejusdem auctoritate innixus, haec scripsit<sup>5</sup>: «Duo extra quaestionem posita sunt. Alterum est, non Salmeronem Disputationis proprium auctorem esse, sed Lainium, cui tum inscriptio veteris codicis in archivo Societatis Jesu asservati tum correctiones in eodem a Lainii manu per totam Disputationem factae paternitatem operis juxta P. Boero apertissime vindicant.»

Totus autem codex incipit ex tractatu, cui titulus: «Quod summus pontifex rector sit universalis Ecclesiae.» Desinit in opusculo, cui titulus ad calcem positus est: «Testimonia multa pro veritate sacramenti Eucharistiae et ejus usu.»

---

<sup>5</sup> Loc. cit., pag. 53\*.

# NOTAE FREQUENTIUS USURPATAE

## EARUMQUE INTERPRETATIO

annot.=annotatio.	O. S. B.=ordinis S. Benedicti.
apogr.=apographum.	O. S. D.=ordinis S. Dominici.
archet.=archetypum.	P.=Pater.
autogr.=autographum.	pag., pagg.=pagina, paginae.
B., Btus.=Beatus.	PP.=Patres, Papa.
cap.=caput.	Rdus.=Reverendus.
Card.=Cardenal.	R. P. T. = Reverenda Paternitas
cf.=confer., conferatur.	Tua.
cod.=codex.	R. P. V. = Reverenda Paternitas
D., Dnus.=Don, Dominus.	Vestra.
Dr.=Doctor.	S., SS.=Sanctus, Sancti.
D. V. A.=De Vuestra Alteza.	S. A.=Su Alteza.
D. V. P.=De Vuestra Paternidad.	sc., scil.=scilicet.
D. V. R.=De Vuestra Reverencia.	seq., seqq.=sequens, sequentes.
ex. gr.=exempli gratia.	S. J.=Societas Jesu.
fl.=folia.	S. M.=Su Majestad.
fol.=folium.	S. P.=Sua Paternitas=Su Paterni-
H.=Hermano.	dad, etc.
HH.=Hermanos.	S. S., SS. <sup>ta</sup> = Su Santidad, Sua San-
ibid.=ibidem.	tità.
id.=idem.	S. S. <sup>ria</sup> , S. S <sup>ria</sup> . = Su Señoría.
i. e.=id est.	S. S. <sup>ria</sup> Rma.=Su Señoría Reveren-
Jhs., Jhus.=Jesus.	dísima.
lib.=liber.	tit.=titulus.
loc. cit.=loco citato.	t.=tomus.
Mag.=Magister.	V. A.=Vuestra Alteza.
ms.=manu scriptum.	V. E.=Vuestra Excelencia.
mss.=manu scripta.	V. M.=Vuestra Majestad.
Mtre.=Maestre.=Mestre.	V. md.=Vuestra merced.
Mtro.=Maestro.	v. gr.=verbi gratia.
N. P.=nuestro Padre.	vol.=volumen.
N. S.=nuestro Señor.	V. P.=Vestra Paternitas.
n., nn.=numerus, numeri.	V. R.=Vestra Reverentia.
O. M.=ordinis minorum.	X. <sup>o</sup> , Xpo.=Christo, Cristo.
O. P.=ordinis praedicatorum.	xpiano.=christiano, cristiano.
Opt. Max.=Optimus Maximus.	Xpoual.=Cristóbal.



---

# EPISTOLAE P. ALPHONSI SALMERONIS

---

## I . VOTUM

PATRIS ALPHONSI SALMERONIS

ROMAE 4 APRILIS 1541 <sup>1</sup>.

*Eligit ac pronuntiat pro suo ac totius congregationis praelato ac superiori dominum Ignatium de Loyola.*

Ihs. Maria

In nomine Iesu Xpi. Amen. Ego Alphonsus Salmeron, huius Societatis indignissimus, praemissa ad Deum oratione, et re, pro qualicumque meo iudicio, mature pensata, eligo ac pronuncio pro meo et totius congregationis praelato ac superiori dominum Ignatium de Loyola, qui iuxta sibi datam a Deo sapientiam, sicut nos omnes in Xpo. genuit <sup>2</sup> lacteque pavit paruulos, ita nunc in Xpo. grandiores solido oboedientiae cibo <sup>3</sup> deducet ac diriget in pascua pingua et uberrima paradisi et ad fontem uitae, ut, cum gregem hunc pusillum Iesu Xpo. pastori magno <sup>4</sup> reddiderit, veraciter nos dicamus: «et nos populus pascuae eius et oves manus eius» <sup>5</sup>; ipse uero gaudenter dicat: «Domine, ex his, quos dedisti mihi, non perdi ex eis quenquam <sup>6</sup>.» Quod ipse Iesus pastor bonus <sup>7</sup> nobis dignetur concedere. Amen. Haec est sententia nostra.

---

<sup>1</sup> Ex autographo, in *Cod. Rom. I*, unico foliolo seu scheda, n. XVI. «Triduoque ad electionem praepositi generalis Domino commendandam et considerandam absumpto; eo elapso, unusquisque ex eis suum suffragium scriptum et obsignatum in arcam intulit. Omnibus autem post tres alios dies convenientibus, et suffragia aperientibus, P. Ignatius communi consensu in praepositum eligi inventus est.» POLANCUS, *Chron.*, I, 91.

<sup>2</sup> I COR., IV, 15.

<sup>3</sup> HEBR., V, 13, 14.

<sup>4</sup> HEBR., XIII, 20.

<sup>5</sup> PS. XCIV, 7.

<sup>6</sup> JOAN., XVIII, 9.

<sup>7</sup> JOAN., X, 11.



Scriptum Romae quarto die Aprilis 1541.

*A tergo propria manu. Salmeron.*

*Sigilli vestigium.*

## 2

## PATRI IGNATIO DE LOYOLA

ALATIS CASTRIS 2 FEBRUARII 1542<sup>1</sup>.

*In Scotiam perveniunt. — Regem et reginam invisunt, a quibus optime excipiuntur. Adversa rerum conditio in Hibernia; quapropter profectio a plerisque eis dissuadetur. — Glascoviam Paschasius se confert, inde Irvinam, ut pleniorum rerum cognitionem comparare valeant. — De doctore Scoto et de magistro Grillaut. — Sociorum precibus se commendant, nuncios petunt. — Broëtus, Irvina redux, in Hiberniam eundum censet, ejusque sententiae accedit Salmeron.*

La gracia y amor de X.<sup>o</sup> nuestro Señor seia sempre en nuestro fauor y nuestra ayuda. Esta es para hazer saber cómo, loado nuestro Señor, emos llegado a Escocia, aunque en el llegar emos estado más de lo que pensamos, por los rodeos que emos traydo en uenir por Adiepa<sup>a</sup>, donde estuuimos quatorze días y dahí á Flandes, y de ay á Canfor<sup>a s</sup>, que es un puerto de Gelandia<sup>b</sup>,

<sup>a</sup> Sic (?). — <sup>b</sup> Sic: Zelandia (?).

<sup>1</sup> Ex apographo, in *Cod. Ebor. I*, fol. 12. De occasione, qua haec epistola data fuit, pauca praelibare non abs re erit. Henricus VIII, Angliae rex, auctoritatis romani pontificis iugo excuso, regni etiam Hiberniae catholicam gentem ad suam impietatem trahere aggressus est. «Cujus rei certior Pontifex factus, cum praeclusos sibi undique videret aditus ad ferendam tot animis opem, ... consilium denique cepit, maxime urgente Roberto, armacano antistite, ut eo de Societate nonnullos, nunciorum nomine, ampla cum potestate legaret.» ORLANDINUS, *Historia Societatis Jesu*, part. I, lib. III, n. 45. In consilii hujus executionem ad Martium anni 1540 designatus occurrit P. Joannes Codurius. Vide *Epist. PP. Broëti* etc., pagg. 421 et seqq. Mense autem Februario anni 1541 Salmeron ei additus apparet loco Francisci Marsupini, qui prius Codurio socius datus fuerat, prout ibidem annotavimus. Joanne autem Codurio letali morbo correpto, P. Paschasius Broëtus eidem suffectus fuit. Ibid., pagg. 23 et seqq. Ambo igitur cum sodali Francisco Zapata die 10 Septembris 1541 iter hibernicum arripuerunt. Cf. POLANCUM, *Chron.*, I, 96; et *Monum. Ignat., Epist.*, I, 174. Cum multa hujus apographi verba perperam scripserit librarius lusitanus, praecipua tantum notamus. Caeterea prudens lector facile emendabit.

<sup>2</sup> Deppa (Dieppe), portus in provincia Galliae, hodie Seine-inférieure dicta.

<sup>3</sup> Ex his clare patet non accurate scriptum fuisse a PRAT, *Mémoires*

en donde estuuimos más de 20 días en passaje y nao. Finalmente partimos en una nao flamenga, y estuuimos em passar 20 días enteros, los últimos de Deziembre, y llegamos aquí la víspera de año nueuo; aunque nuestra nao, por serle el viento contrario, se quedó dos millas desta villa principal de Escocia que se llama Hedemburgo <sup>4</sup>, á la qual venía; pero nosotros nos salimos y venimos por tierra, y la nao vino de allí á 6 días.

Hanos hecho nuestro Señor á todos tres en este passage grandes mercedes en comunicarnos alguna parte su †, porque, ultra de las comunes miserias y fastidios que trae consigo la mar, y principalmente en este tiempo tan recio de Deziembre, no podemos dizir que ayamos tenido un día bueno y de salud, assí por ser la primera vez que M. Pascasio y yo entramos en la mar, como porque misser Francisco se le hincharon los pies de bexigas <sup>c</sup> y materia, del grande frío que hizo; y tan notablemente, que no se podía tener sobre ellos ni ha podido acabar de sanar en más de un mes, aunque al presente, Dios loado, se halle mejor, y ya salga fuera de casa.

Ultra desto los vientos nos fueron tan rezios y tan contrarios, que una noche principalmente pensamos quedarnos en la mar; pero nuestro Señor nos libró por su misericordia. Digo esto porque aquí es fama cierta que estos días mismos se han perdido algunas naos que venían también de Flandes. Praeterea por la tempestad de vientos nos fué necessario entrar dos vezes en puerto, y de Inglaterra. En el uno estuuimos ocho días, y tuuimos la Nauidad: y aunque nuestras vestes y traje fuessen un poco á la romanisca, passamos con dizir á los que no[s] lo pedían que éramos españoles; y á ratos para hazer fee dello habláuamos español, porque esta tierra de Inglaterra passan con peligro grande de la vida personas que vienen de Roma, ó frayles con su

---

<sup>c</sup> *Sic pro vejigas.*

---

*pour servir à l'histoire du Père Broet, pag. 55: «Ils arrivèrent assez heureusement jusqu'au détroit de la Manche. Là ils s'embarquèrent pour l'Écosse.»*

<sup>4</sup> Alata Castra (Edinburgh).

hábito. En ella vimos muchas religiones destruydas y dessoladas, y muy frequente el dizir mal del papa: et hoc est apud vulgus.

Hallamos aquí en Hedemburgo la corte, el rey <sup>a</sup> y la reyna <sup>a</sup>, los quales por otras naos que venían delante tenían ya nueuas de nuestra venida, aunque el para qué no lo sabían. Pensaban quien <sup>d</sup> era para ser legado en esta tierra; y dos días después de reposar, M. Pascasio y yo fuimos á visitar y hablar al rey. Misser Francisco, por estar mal de sus pies, no pudo venir, y así le representamos el breue de S. S. <sup>7</sup>. La respuesta que nos dió fué muy graciosa y fauorable: scilicet, que él nos daría letras de fauor para los príncipes de Ibernía, y con esto un hombre que nos lleuasse seguramente hasta allá <sup>8</sup>. Después dimos otra letra á la reyna, que trayamos de París de un hermano suyo, llamado el arzobispo de Rens <sup>9</sup>, y hablándole dos ó tres uezes muy fauorablemente, queriéndose enformar en particular de nuestra vida y profesión y modo de proceder, lo qual ella auía soboydo <sup>e</sup> por ultra de lo que nosotros le dimos parte.

Hauía aquí tres ó quatro escoceses, que nos conocían de allá, de Roma, los quales han aquí publicado nuestra vida y profesión: y entre los otros señaladamente un embaxador <sup>10</sup> del rey de Francia, que vino aquí estos días á el rey de Escocia, el qual, según algunos nos han dicho, habló al rey y á la reyna dando muy buen testimonio de nuestra vida y exercicios en que nos ocupáuamos, sin hauelle nosotros hablado ni visto. Después acá este embaxador nos ha tomado amor, y nos ha hecho mucha honra en su casa, donde hemos ydo muchas vezes á comer y ce-

---

<sup>d</sup> Sic pro que. — <sup>e</sup> Sic ex latino subaudio.

<sup>a</sup> Jacobus V, nepos Henrici VIII, regis Angliae.

<sup>b</sup> Maria Lotharingiae (de Lorraine), alias «domina de Longueville» dicta, filia I ducis Guisani (de Guise), Claudii Lotharingiae.

<sup>7</sup> Vide *Epist. PP. Broëti*, etc., pag. 215-216.

